

Alte Drucke

**HIER. ZANCHII || MISCELLA-||NEORVM || Libri Tres.|| AD ||
AMPLISSIMVM SE-||NATVM ANTVERP. ET AD ECCLE-||SIAS,
QVÆ PVRIOREM ANTVERPIÆ || profitentur ...**

Zanchi, Girolamo

Neustadt/Haardt, 1593

VD16 ZV 27950

EPISTOLA AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM H. M. PHILIPPVM SENIOREM
LANTGRAVIVM, CVI LIBER DEDICATVS FVERAT: In qua Continetur Historia de
prioris dißidij Argentinensis ortu, progressu, exitu, ...

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the Head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149561



H. ZANCHII
MISCELLANEORVM,
LIBER PRIMVS.

EPISTOLA
AD ILLVSTRISSIMVM PRINCI-
PEM H. M. PHILIPPVM SENIOREM LANTGRA-
VIVM, CVI LIBER DEDICATVS FVERAT:

In qua

*Continetur Historia de prioris dissidij Argentinensis ortu,
progressu, exitu, compositione, deq; his qua compositionem
consecuta sunt.*



VM ANNOS NON PAUCOS, ILLVSTRIS-
SIME PRINCEPS, Sacras literas sincerioremq; Theologiam Argentinæ pro-
fessus essem, nihil verò, vt alij solent professores, lucubra-
tionum mearum præter *περλεγόμενα* quædam in Physica
Aristotelis, quem extra ordinem aliquot annos ibidem in-
terpretatus sum, foras dedissem: superiori tandem anno
quædam mea *ἀντιρρήδια*, nimirum hæc Theologica miscel-
lanea, cuidam singulari amico, & optimo viro atque typo-
grapho, imprimenda dedi: eaque T. Illustriissimæ Cellitu-
dini certis de causis, quas postea explicabo, dicaui. Verum liber cum esset sub prælo,
opera quorundam qui autoritate valebant, in medio cursu interruptus atque sup-
pressus, prodire in lucem nisi nunc primum recusatus, non potuit. Causa verò cur
illum supprimendum curauerint viri illi: non fuit quòd aut vllam contineret hæ-
resin, aut in quempiam esset contumeliosus, quemadmodum facile videre est, si quis
Librum inspiciat: sed, si licet dicere quod facile est *συχάζεσθαι*, imò quod postea rei e-
uentus docuit, ea fuit, vt maculæ quorundam amicorum, quorum existimationem
omnino fartam tectam esse debere iudicabant, luce veritatis sepulta, perpetui si-
lentij tenebris contegerentur. Atq; id quidem rectè & prudenter: si citra aliorum
etiam quamplurimorum, quorum existimatio non minùs quàm illorum paucorum,
erat curanda, infamiam: si citra ipsius veritatis iniuriam: si citra apertum Ecclesiæ
damnum: si deniq; citra gloriæ ipsius Dei periculum: cæleri veritas potuisset. Fue-
rant enim ab illis amicis, quorum causa Liber meus fuit suppressus, primum qui-
dem propositiones aliquot piæ omnino atque Christianæ, vnà cum autore qui eas
in Schola palàm non semel tradiderat: apertis Scripturarum testimonijs compro-
barat: autoritatibus Patrum, atque in primis Augustini, confirmauerat: doctissi-
morum etiam nostri seculi virorum, Buceripræsertim, sententijs communierat:
tandem non modò nouitatis, sed etiam hæreseos, tum voce tum scriptis damnatæ:
idque pertinaciter per multos supra annum menses. Deinde verò nonnullæ eius-
dem sui Collegæ lectiones, illæ nimirum vnde Theses excerptæ fuerant: ita in v-
niuersum apud multos traductæ, vt eas prorsus intolerabiles esse dixerint. Postre-

A

mò grauiſſimæ, illæque penè innumerabiles calumniæ, contra eundem fratrem & nouem annorum Collegam, quibuscunque fieri potuit modis, in vulgus sparſæ. Contrà verò hic Liber continebat tria ſcriptionum genera: nimirum Iudicia multarum Academiarum & Eccleſiarum, earumque Germanicarum, quibus Theſes ab amicis illis damnatæ, omni hæreſeos crimine liberabantur: Lectiones ipſas de quibus erat quæſtio. Ad eum calumniarum multarum depulſionem.

Neque verò hæc inuulganda curaueram aut temerè, aut præcipitanter, aut inuidioſè, malòue in accuſatores meos animo. Principiò enim graues cauſæ, ea vt in lucem darem, me compulerunt, gloria Dei, amor veritatis, vtilitas Eccleſiæ, exiſtimatio multorum, qui meam doctrinam non refutatam, neque legitimè cognitam, condemnari nolebant, deniq; meæ innocentie mei; miniſterij deſenſio. Deinde non ſtatim de principio hæc inuulganda curauim: ſed tum demum, cùm vidiffem omnia à me fruſtrà tentata fuiſſe remedia, eaque honeſta, amica, Chriſtiana, quibus ſublato omni diſſidio, veritas ſuo reſtitueretur loco: nimirum biennium ferè poſt factam contra me accuſationem. Nullo verò malo in quempiam animo me, vt hic Liber in lucem prodiret, curaffe, inde ſatis luculenter apparet: quòd & perpetuò quæ ſui, vt articuli mihi obiecti, hæreſeosque damnati, aut publica diſputatione in Schola, vt moris vbique eſt, diſcuterentur: aut amico colloquio cognoscerentur, totaq; materia diſſidij tolleretur. Et in ipſo Libro, nemo vllis conuiitijs aut contumelijs à me afficiebatur, imò ne nominabatur quidem: quanquam ego fuerim ab illis, multis & iniurijs & contumelijs affectus atque laceſſitus. Neq; enim ignorabam illud ab ethnico etiam homine traditum & multis rationibus confirmatum: *βέλπον εἶναι τὸ ἀδικεῖσθαι ἢ ἀδικεῖν*. Multò minùs me latebat illud Salomonis: non eſſe in conuiitatores regerenda conuitia, ne vnà cum illis nos etiam ſtultescamus: & præceptum Chriſti ſaluatoris noſtri: *Εἰ γὰρ δε λέγω ὑμῖν, μὴ ἀντιſτῆναι τῷ πονηρῷ*, animo obueſabatur meo. Sed viciffim etiam è Scripturis didiceram, neque boni eſſe viri ad iniuſta obiecta crimina prorfus tacere: neque boni Doctōris, ſanam doctrinam damnantibus nihil reſpondere. Qui enim dixit: Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam eius, ne ſimilis ei ſias etiam tu: idem mox ſubiecit, Reſponde *τῷ ἁλίῳ* iuxta ſtultitiam eius: ne ſit ſapiens in oculis ſuis. Et qui dixit *μὴ ἀντιſτῆναι τῷ πονηρῷ*: idem ſuo exemplo docuit calumnias eſſe depellendas. Apoſtolus verò de Episcopis & Doctōribus tradit, eorum officium eſſe non ſolùm *παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαίνουσῃ*: ſed etiam *τὸς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν*.

Cæterum quòd, Illuſtriſſime Princeps, meliùs & clariùs ceu in picta tabella videre poſſis, iurè ne, an iniuria Librum hunc, & anno ſuperiori ante compoſitum diſſidium, cudendum curauerim; & nunc poſt illam qualemcunque compoſitionem, reſuſum in lucem mittam, exorſus à mea in Scholam Argentinẽſem vocatione, principiò breuiter oſtendam tum quibus legibus eò fuerim vocatus, & poſt biennium confirmatus: tum quo pacto me in officio meo, fidelitèrne an ſecus, geſſerim. Deinde explicabo, quæ initia, quos progreſſus, & quem tandem finem habuerit diſſidium illud moleſtum ſanè ac diuturnum. His ſubijciam, quæ poſt illam & propter illam qualemcunque compoſitionem contigerunt: nimirum quæ nouæ contra me calumniæ, verbis & ſcriptis ſparſæ: quæ noua crimina mihi obiecta, & quid de ijs actum fuerit. Ad extremum referam quæ nuper aduerſum me vnus ex meis aduerſarijs nullo à me prouocatus verbulo, ſcripſerit; & edito etiam Argentinæ libro in vulgus ſparſerit falſa crimina, conuitia, maledicta. Nam hæc nouis illis ſuperioribus poſt compoſitionem contra me dictis & ſcriptis calumnijs atq; criminationibus addita: tandem coëgerunt me, vt hic Liber recuderetur, curare: totiùsque tum prioris tum poſterioris diſſidij hiftoriam breuiter in hac epiſt. explicare, eoq; totam meā cauſam, Tibi in primis, deinde & alijs omnibus Principibus & Eccleſijs Chriſti, iudicandā proponere: quando nulla alia ratione defendere me contra

totta-

et talesque accusatores mihi vnquam licuit, aut etiam spes est fore, vt liceat. Non fuerit autem inutile etiam posteris, talem historiam legisse.

Duæ itaque præcipuæ sunt res quæ Argentinam urbem per se multis nominibus celebrem, celeberrimam reddiderunt: Schola nimirum, hoc est, celeberrimi viri qui eam Scholam feliciter aperuerunt, inq; ea felicissimè docuerunt, Bucerus, Capito, Calvinus, Martyr, Hedio, & vt de aliis aliquot taceam Ioannes Sturmius, primarius formæ illius Scholæ autor, nunc autem vnicum totius Scholæ ornamentum. Deinde ipsa religionis Christianæq; doctrinæ puritas, quæ ibi tum maximè viguit cum ibidem etiam verum ageret Episcopum doctissimus simul atque piissimus, honorificæ memoriæ Martinus Bucerus. His duabus præcipuis laudibus accedit tertia: nempe ipsius Magistratus tum pietas, qua omnes ad se religionis ergò confugientes, humanissimè excipiebat: tum æquitas, qua illorum neminem ad vllum doctrinæ genus aut formam præter eam quæ expressa est apertè in Sanctis literis, vel recipiendam vel tractandâ astringebat. Hæc triplex Argentinæ laus, effecit vt à tempore recepti Euangelij, infiniti propè non vulgares tantum homines, sed viri etiam insignes, non tantum ex varijs Germaniæ prouincijs, sed etiam ex omnibus ferè totius Europæ Nationibus, in eam urbem confluerint, atque etiamnum, saltem bonarum literarum gratia confluant. Eadem etiam hæc laus, effecit vt ego quoque cum in eam Scholam docendi gratia vocarer; eò non solum venire non recularim, sed etiam libenter venerim; & eo libentiùs, quòd omnino sperabam, futuram mihi cum alijs professoribus Theologis perfectam in doctrina consensionem, propter Bucera; cuius & illi fuerant auditores, & ego absens discipulus. illius enim scripta, auidè legeram in Italia: & ex illis cum primis profeceram in vera Theologia. nam & Martyri, & deinde etiam mihi visus fuerat, omnium qui in Germania docebant, doctissimus Theologus. Mea autem vocatio in hunc se habuit modum. Anno M.D.LIII. cum in demortui Doct. Hedionis locum, Theologus aliquis esset sufficiens, qui sacras Literas in Schola profiteretur, vir ille nò tam sanguinis nobilitate quàm eruditione & virtute clarissimus Iacobus Sturmius, tunc temporis primarius Scholarcha, & duo alij clarissimi illius Scholæ præfecti, Iacobus Mejer homo pius, & Fridericus Gottesheimius, vir prudentissimus, adhibitis in deliberationem Rectore & Visitationibus, Io. Sturmio, Petro Dasypodio & Christiano Herlino, viris non tantum doctissimis, sed etiam scholæ amantissimis & studiosissimis Patribus: decreuerunt Italum aliquem qui non multum ab similis esset Martyri, in locum demortui Hedionis vocare. Atque huiusce rei curam Cælio Secundo Curioni homini Italo, & politioris literaturæ in celeberrima Basiliensium Academia tum temporis professori eximio, literis ad eum datis iniunxerunt & commendarunt.

Ego tum recens egressus eram Italia, religionis causa; idq; prouocatus exemplo Illustris Comitis Martinengi Maximiani, viri pij & docti, fratrisq; in Domino charissimi, quo cum familiarissimè annos fermè xvi in sancta amicitia vixeram, ambo enim fueramus Canonici Lateranenses, quos Regulares vocant; ambo eiusdem ætatis, & ferè eiusdem ingenij ac voluntatis: ambo in ijsdem studijs simul versati, Aristotelis, Linguarum, & Scholasticæ Theologiæ: ambo denique simul, cum Martyrem Lucæ, Epistolam ad Romanos publicè interpretantem, & Psalmos priuatim suis Canonicis explicantem audiremus: cœpimus animum adiciere ad studium S. literarum; deinde etiam ad longè meliorem ipsis Scholasticis libris atque Doctoribus, Patrum, atque in primis Augustini, ac demum nostri etiam temporis doctissimorum quorumq; Interpretum lectionem. Ac per annos quidem aliquot, Euangelium Christi quàm potuimus purissimè prædicauimus: quanquam ille, vt pote maiori Spiritu Dei præditus quàm ego, liberiùs semper & apertiùs: ac proin-

de etiā prior me, cum Mediolani structas sibi insidias sensisset, propter Euangelium, Italia valere iussa, concessit ad Rhetos; ac non ita multo post Geneuam: vbi etiam primus pastorem Ecclesiæ Italicæ aliquot annos fidelissimum egit: ac demum vbi venit hora, obdormiuit in Domino, optimus vir, charissimus frater, beata anima.

Cælius itaque, vt eò, vnde digressus sum, redeam, perspecta Præfectorum Scholæ Argentinensis voluntate: egit primum per literas cum comite Martinengo, vt conditionem Argentinensem acciperet. Cum verò ille, quod nollet suam Ecclesiam deferere, recusasset: cœpit me cum per Paulum Gadium virum pium & doctum tum Geneuæ degentem, & postmodum Telliensis Ecclesiæ in valle quam Latini scriptores Volturrenam, vulgò Valtellinam vocant, Pastorem effectum, ad illud honorificum munus hortari: tum deinde ipse coram & per se, tot rationibus extimulare & permouere, vt tandem assensus fuerim: sed ea conditione & lege, vt liber tantisper manerem, donec ea fide quam ego Martyri (huic enim promiseram: me in Angliam, quò inuitabar, venturum) & quam forte fidem Martyr Archiepiscopo Canthuariensi prome obstrinxerat, liberarer; totumque hoc cum bona vtriusque illius gratia fieret. id quod postea etiam factum fuit. Iacobus igitur Sturmius, & alij duo Scholarchæ, cum intellexissent de Cælio quæ mea esset erga se voluntas: hæc ad me dederunt literas, tribus, hoc est, suo cuiusque sigillo obsignatas.

Scripsit ad nos Cælius Secundus, te animum à nostra Republica, Hieronymæ Zanche, non alienum gerere: neque recusare nobiscum viuere ea qua fuit Petrus Martyr conditione. Gratissimum id nobis fuit cognoscere: præsertim notatis istis virtutibus quas in te Cælius esse scribit & affirmat. Primum igitur quod officij nostri est: gratiam habemus de hac tua voluntate. deinde idem tibi quod Petro Martyri, & quod felix faustumque sit Ecclesiæ & Scholæ nostræ, munus eandemque disciplinæ functionem damus atque committimus. Promittimus etiam eadem stipendia & laborum consimiles fructus. Et quantum in nobis est, curabimus vt non minus apud nos libenter futurus sis, quam Petrus Martyr fuerit. Itaque, rogamus vt & libenter venias, & venias quamprimum. Viaticum quantum iter illud requirit, tibi à procuratore Brechtnerorum Martino Voglero Venetijs in adibus Germanorum numerabitur cum primum postulabis. Vale. Argentorati 25 Februarij, anno 1111. Iacobus Sturmius suo & Collegarum nomine.

Hanc Scholarcharum Epistolam, hic intertextam iccirco volui: vt omnes intelligant, & quam benevolentiam mihi promiserint, & quibus conditionibus me vocarint Argentinenses. Ac quod ad promissam benevolentiam attinet: nō habeo quod de meis Argentinensibus conquerar. Nam ante dissidium, fuit ea mihi multis officijs & beneficijs præstita ac declarata: post excitatum autem dissidium, per multi certè tam ex nobilibus quam ex plebe, causam meam bonam, strenuè defenderunt, & omni humanitatis officio me sunt ad finem vsque prosequuti. forem autem ingratus simul & iniquus, si propter pauculos aliquot, de tota & præsertim tali ciuitate, vellem conqueri: præsertim cum quod ad reliqua attinet, ab ipsis semper fuerim liberaliter ad finem vsque tractatus: qua de re sicut egi coram, ita etiam nunc ago immortales gratias. Cæterum quod attinet ad ipsas quibus vocatus fui, condiciones: principio apparet ex literis Sturmianis & ipsius Collegarum, iisdem planè conditionibus me Argentinam fuisse vocatum, quibus etiam ibi antea fuerat, vixerat & docuerat Petrus Martyr. Ille autè quandiu docuit Argentinæ tempore Bucer, nunquam coactus fuit vel Augustanæ Confessioni vel alicui alij formulæ, vt vocat, doctrinæ, subscribere; sed semper liberè pro suo iudicio iuxta Analogiam fidei, licuit ei sacras literas interpretari: modò quæ doceret, publicis etiam disputationibus, vt moris est in omnibus rectè institutis Scholis & Academijs, defenderet. Idem mihi licuit totum priorem annum. Hoc elapso anno, & mortuo iam clarissimo Iacobo Sturmio, Mecenate meo: postulatum à me fuit, vt si vellem in Scholâ docere, Au-

gustanæ

gustanæ Confessionem subscriberem. Ego posteaquam meas rationes attulissim cur non simpliciter & absolute subscribere vellem, quod præter alia is honos debeatur solis S. literis, quippe quæ etiam solæ, norma & canon sunt & esse debent omnis doctrinæ Christianæ; tandem cum hac exceptione subscripsi: *Modò orthodoxè intelligatur.* Quia verò id cuius potissimum gratia à me subscriptio petebatur, erat ille benedictus articulus de Cœna Domini: idcirco ne quempiam fallerem, meam volui de hoc articulo breuiter explicare sententiam: quæ hæc fuit, tribus constans capitibus. Primò: Verum Christi corpus pro nobis traditum, & verum eius sanguinem in peccatorum nostrorum remissionem effusum, in Cœna verè manducari & bibi. Secundò: Verum id non ore & dentibus corporis, sed vera fide: Tertiò, ideoque à solis fidelibus. Cui explicationi ita assensu fuerunt Domini Scholarchæ: vt & nobilis Petrus Sturmius honorificæ memoriæ, & Iacobus Meier ambo pijssimi senes, mihi arridendo in hæc verba responderint: *Hac quoque est nostra fides: non enim est cibus ventris, sed mentis.* Rem autem ita se habere, Deum optimum, coram quo sancti illi viri nunc beatè viuunt: in testem voco. Neque mirum illud videri cuiquam debet. sic enim didicerant à veteribus patribus, Capitone, Bucero, Zellio, & alijs. Si itaque contingeret, vt de Cœna mihi differendum esset: recepi me à quæstionibus abstenturum inutilibus: atque extra hæc tria capita non euagaturum: contra verò Augustanam Confessionem orthodoxè intellectam nihil traditurum: curaturum autem, vt quantum in me esset, consensus in sana doctrina retineretur in Schola. His igitur conditionibus, postquam biennium mei meæque doctrinæ periculum fecissent, & rationem, quam seruabam tum in docendo tum in disputando, probassent, vtrinque receptis: & in officio confirmatus, & in Thomense consilium cooptatus fui: ibique ab initio anni LV, vsque ad finem ferè LXIII, Canonicus vixi. Quomodo verò me cum eo consilio & Canonicis omnibus gesserim, & quam vitam duxerim: malo ab ipsis & ab alijs ciuibus, quàm à me dici & scribi. Hoc tantum dicam ipse: quòd in defensione causæ, non tam meæ, quàm Christi, non me ad illorum, qui hoc fortè cupiebant, pedes proiecerim, quòd non me præter decorum demiserim, quòd non cesserim, quòd non, vt petebant, dixerim Amen: hoc non fuisse ex superbia, vt quidam di&itabant, profectum; sed inde, quòd & talem causam, quæ heroicum, non plebeium in sui defensione animum requirebat, & defensorem ipsum, huiuscemodi viles actiones omnino dedecere videbam, ac proinde considerandum puto diligenter: magnum esse discrimen inter ὑπερηφάνειαν, quæ nullum decet Christianum, & μεγαλοψυχίαν, quam in suis Prophetis atque Apostolis requirebat Dominus: & inter αὐταῖς δὲ ἀντιχόμενον τῷ πνεύματι λόγος: quorum vnum abesse vult Apostolus ab Episcopo & Doctore Ecclesiæ, alterum verò necessarium illi esse pronuntiat. Certè quòd Mardocheus non adorauerit Amanum: illud non fuit superbi, sed pij potius atque excelsi animi testimonium. Quàm facilis fuerim in ferendis & condonandis proprijs iniurijs omnibus, norunt ipsi de quibus ago: nouit etiam Magistratus, apud quem per totum illud tempus, quo vixi Argentinæ (vixi autem annos ferè vndecim) neminem vnquam accusaui, & de nullius iniurijs conquestus sum: quamuis occasiones atque adeò causæ sæpenumerò non defuerunt. Cæterum vbi vindicanda est gloria Dei: vbi defendenda est doctrina Christi: vbi denique pugnandum est pro Christo: hic certè opus est animo non plebeio & vili: sed nobili, excelsi atque heroico. Tantum igitur abest vt me poeniteat illius, quemadmodum quidam vocant, superbiæ: vt etiam doleam, me ad extremum nimis fuisse facilem. Nunc tantum videndum est, an ego in Schola ita me gesserim, vt illis, quibus confirmatus fueram, conditionibus, steterim, necne. Principiò quàm fuerim pacis atque concordie studiosus: præterquam quòd testes habeo omnes bonos Collegas & Professores: inde etiam liquidò apparet, quòd de

illo articulo de quo potissimum metuenda erant contentiones, per totum illud tempus quo docui Argentinae, nullam habui tractationem, nullamue proposui questionem aut disputationem; idque non tam quia mihi Prophetas interpretanti nullus apertus eade re locus occurrebat, quam quoniam nullam quantum in me erat, volui dare cuiquam turbandae pacis atque excitandi dissidij occasionem. Si verò contigit ut aliquando vel in disputationibus, argumentis disputantium prouocatus; vel in lectionibus, obiter de ea realiquod fecerim verbum: nunquam egressus sum tria illa capita, intra quae me mansurum Dominis Scholarchis promiseram. Neque certè putavi vllum potuisse ea doctrina in Argentinensi Schola offendi: quòd eam scirem à Bucero, ut de alijs taceam, constanter etiam post concordiam cum Luthero factam, in ea Schola & Ecclesia traditam fuisse: quemadmodum in varijs eius libris, Epistolis, Confessionibus, abundè videre est; imò & confessio eius vrbis, aliarumque trium ciuitatum, & eiusdem confessionis Apologia, eandem planè continent doctrinam. Neque etiam videre vnquam potui, quomodo hæc doctrina cum Augustana Confessione pugnet; cum ibi nullum fiat verbum quòd corpus Christi aut ore & dentibus corporis, aut ab impijs & fide destitutis verè comedatur. Doctrina autem illa quam de cœna professus fueram: est certa, perspicua, minimè intricata, salutaris: & qua si omnes essemus contenti, omnes sublatae essent contentiones; idque cum magna Ecclesiarum ædificatione. Quin & felicitis memoriæ Petrus Martyr reuersus ex Anglia, eandem tradidit in eadem Schola Argentinensi doctrinam; cum explicaret librum Iudicum, ut etiam videre est in ipsius in eum librum Commentarijs, cap. 13. ad calcem. *Quibus addas, inquit, etiam eos qui credunt Christo & certò sibi persuadent, cum sua causa esse mortuum, & comedere carnem Christi & eius bibere sanguinem; ad quem usum Symbola dum sensum excitant, plurimum conferunt; non quòd caro Christi & sanguis in panem & vinum infundantur, aut elementis illis aliquo modo concludantur: sed quòd res illæ vera fide à credentibus percipiantur. Sunt enim inuisibilis alimonia quæ mente solum capitur, ut Augustinus fideliter monuit. Quid, inquit, dentem paras & ventrem? crede & manducasti.* Hæc ille. Non fuit tamen vnquam ab vlllo accusatus aut reprehensus Martyr: quòd contra Confessionem Augustanam docuerit, contraque suum chirographum fecerit: imò meus aduersarius dat D. Petro Martyri testimonium seruatae fidei, in quadam oratione. Postquam enim recitasset testimonium D. Petri, in quo promiserat se nihil quod cum Augustana Confessione rectè & commodè intellecta pugnaret, docturum: subiicit hæc verba: *Huic compromisso D. Petrus quæ est integritate & fide præditus, postea etiam constanter satisfecit, ut in omnibus & lectionibus & disputationibus, nihil ab ipso auditum aut animaduersum fuerit, quod vero nostro consensui in doctrina aduersaretur. Itaque etiam ut collega & frater charus & dilectus fuit cum mihi tum reliquis Scholæ & Ecclesiæ præceptoribus atque ministris omnibus.* Hæc ille. Cum hæc ita habeant: concludo igitur, neque me de Cœna quidpiam docuisse cum Augustana Confessione pugnantem, ideòque nec contra meum compromissum fecisse. quare nullam etiam causam, mea doctrina, turbandae pacis, cuiquam me dedisse.

Sententiam eorum qui scribunt corpus Christi esse vbique, si ita intelligatur, quòd ipsum verum Christi corpus sua naturali substantia, seu, ut Scholastici loquuntur, secundum suum Esse naturale sit vbique: per duas septimanas in Schola ut impiam refutaui Scripturis, argumentis, Patrum & Buceri testimonijs, idque multò antè quam cœpissent contra eam scribere doctissimi illi Patres Bullingerus & Martyr, qua de re fui etiam accusatus apud Scholarchas: sed ostendi me id iure fecisse, nihilque contra Augustanam Confessionem peccasse: quod eade re ne vllum quidem verbum in Augustana Confessione habeatur.

Images

Imagines in templis & sacellis, quæ aut solitæ fuerunt adorari, aut ad quas adorandas vulgus inclinare facile possit: & in lectionibus & in publica disputatione confutavi ac damnavi, quæ de re etiam fui accusatus: sed hæc quoque demonstraui, me & secundum verbum Dei & secundum antiquos Patres docuisse; neque quidpiam contra Augustanam Confessionem admisisse.

Quæ docui de ultimo Antichristo, deque fine seculi: & consentanea sunt sanctis literis, & non pugnant cum Augustana Confessione.

De Prædestinatione docui & quidem abundè, quia subinde etiam occurrerant loci in Prophetis. Sed hæc etiam nunquam egressus sum S. Scripturæ terminos; nihilque docui, quod ante me non docuerint & scripserint post Augustinum & alios Patres, præ memoriæ Lutherus & Bucerus, ut de alijs taceam omnibus. De hac autem nihil Augustana Confessio. Quare neque hac doctrina contra illam peccavi.

De ipsa verò Sanctorum in fide perseverantia, priori anno satis luculenter in primum Psalmum, ubi iustus comparatur arbori satæ ad riuos aquarum, cuius folia non defluunt, & quæ fructum dat in tempore suo, differui; deinde etiam publicè disputavi. Sed hæc etiam nihil quod post Scripturas Augustinus quoque, Lutherus & Bucerus, & alij quamplurimum Patres, tum nostri temporis homines non scriptum reliquerint, docui: quemadmodum partim in hoc meo libello videre licet, partim aliàs, Deo fauente, clariùs, fusiùs, & absolutiùs, ad omnium Ecclesiarum ædificationem demonstrabo. Atque hanc doctrinam ita sæpe in meis lectionibus repetij, ut eam nemo non intellexerit: & tamen ante Heshusij librum de Cœna, nemo vnquam vel se ea offensum fuisse significavit, vel me hæreseos accusavit: Quod verò quidam postea contenderint eam pugnare cum Augustana Confessione in articulo de Pœnitentia, ubi damnantur Anabaptistæ, qui docent, semel iustificatos non posse amittere Spiritum sanctum: falsi fuerunt, cum ego de electis verè sanctis veraque fide prædixissem, semper locutus sim, idque apertè & clarè: Augustana Confessio autem cum de omnibus temporarijs, tum speciatim de quibusdam Anabaptistis: qui nefanda admittebant, & tamen interim, se non solum habere Spiritum sanctum, sed etiam se ab hoc Spiritu sancto ad ea admittenda impelli, seu, ut ipsi loquuntur, inspirari, iactabant, & mentiebantur. Quare satis constat viris doctis, neque in hac doctrina de Perseuerantia Sanctorum, seu de perpetuitate fidei in electis, quidpiam à me traditum fuisse quod cum Augustana Confessione pugnet.

Nihil est præterea, quod sciam, de quo fuerim siue in doctrina, siue in vita & moribus per totum illud tempus quo vixi & docui Argentinæ, accusatus. Nam quod quidam crimen turbatæ pacis & Scholæ à se in me transfulerunt: satis perspicuè constabit esse calumniosum, si quis ab vna parte in memoriam reuocet & intelligat, me non fuisse accusatorem sed accusatum: ab altera verò parte legat hunc Librum, & doctrinam de qua tanquam impia & hæretica accusatus fui, & propter quam turbatam fuisse Scholam dixerunt, piam atque orthodoxam esse videat. Nam si mea doctrina turbata fuit Schola, doctrina autem hæc non est impia sed Christiana: culpa igitur turbatæ Scholæ non potest hære in mea doctrina, neque ego possum iure turbator Scholæ appellari: nisi fortè eo modo, quo etiam Elias vocatus fuit turbator totius Israël, & Apostoli totius orbis.

Credo itaque, satis hinc perspicuum esse factum tam tibi Illustrissime Princeps, quam omnibus alijs quicunque hæc legerint; me illas etiam præstitisse conditiones, quibus in meo officio confirmatus fui, & nihil contra meum chirographum, seu, ut vocant, compromissum fecisse.

Venio nunc ad illud turpissimum diffidium, cuius historiam minimè hic cogito totam conscribere, sed eatenus tantum summam illius perstringere: quatenus breui illius explicatione, partim tu Illustrissime Princeps, & alij faciliùs videre possint, an iustis & necessarijs causis coactus fuerim curare ut primò & nunc etiam secundò hic meus liber in lucem prodiret, necne: partim etiam ego ut nouam quandam, eamque grauem criminationem à me depellam. Etenim post compositum vtcunque diffidium, cum in nostro Consilio Thomenfi, eoque tunc non solum Canonicis & Vicarijs, ut vocant, refertissimo, sed etiam praesentia clarissimorum Scholarcharum ornato: interrogatus de quadam fidei confessione, sententiam meam modestè dixissem, & simul etiam necessarijs de causis, ut postea ad extremum explicabo, repetissem quibus exceptionibus in formulam Compositionis consensissem: ibi tunc quidam praeter alia hoc etiam in me dixit: *Ecce inquit, Doct. Zanchus pro suo ingenio, nouum nobis indicit bellum.* quasi verò & vetus, quia de haeresi accusatus, me defendebam, indixerim; & nouum, quia interrogatus sententiam modestè eam dixeram, indicerem. Hoc ipsum tamen alius etiam, edito nuper libro confirmat; praeter alias innumeras contumelias, eristicum me hominem appellans. Sed hæc suo loco: nunc ad institutam narrationem. ex ea enim liquidò apparebit, an ego qui neque quempiam accusaui, neque vllius doctrinam in Schola damnaui, sed & meam tantum defendi, & accusatus accusatores meos non tantum ad disputationem, sed ad amicam etiam colloquium inuitaui, atque ne illud recusarent, non semel & iterum rogaui, quemadmodum tum Acta docent, tum Collegæ testificari possunt, idque quò & scandalum tolleretur, & veritate cognita, finis tam turpi diffidio imponeretur: apparebit, inquam, an ego, qui cum ad modum me gessi, bellum cuipiam indixerim; an verò autores huius mali fuerint multialij, qui coniunctis simul copijs & omnibus praesidijs, quibuscunque potuerunt modis, in exterum hominem, atque eum quidem, & illius, rei de qua accusabatur, innocentem, & ab humanis fauoribus & auxilijs inopem, maximo impetu de improviso irruerunt.

Initium igitur Argentinensi diffidio dedit Heshusij de Cæna Domini libellus. Nam antequam ille, contumeliosissimè à nescio quo ornatus scholijs, cœpisset Argentinæ sub nomine Magdeburgæ recudi: idque opera eorum qui postea occasione huius libri, facti fuerunt mihi inimici & hostes: tametsi in doctrina de Cæna, de Prædestinatione, deque Certitudine salutis, non omnes essemus omni ex parte consentientes: tanta tamen fuit inter nos animorum consensio & pax atque amicitia, ut sicut ego neminem vnquam de vlla re, sic nemo vnquam me de haeresi accusarit. fueram quidem semel accusatus, ut antè dixi: partim de Cæna, partim de Prædestinatione, partim de Imaginibus, partim quòd errorem perniciosum esse docuerim, dicere, corpus Christi esse vbique: sed quia ibi nulla mentio hæreseos: iccirco postquam me defendissem, & quæ docueram, iuxta verbum Dei & Patres me docuisse demonstrassem: Iniuriam ita dissimulaui & tuli, ut amicitiam & pacem propterea cum omnibus colere non desierim: quæ etiam, ut antè cœpi dicere, vsque ad Heshusij librum, integra ac inuiolata permanfit. Heshusij itaque libellus de Præsentia, bellum inter nos excitauit: quo pacto, non est opus longa explicatione. Illud tantum dico, me non curasse illum supprimendum à Senatu propter doctrinam, de qua penes Ecclesiam iudicium est: sed tantum propterea quòd in præfatione magnus quidam & pius & opt. Princeps, & in libro sanctissimus ille vir, deque tota Germania, omnibusque literatis optimè meritis Philippus Melanchton, alijque innumerabiles & insignes Ecclesiæ doctores grauissimè perstringerentur; & quòd quicumque Heshusij de crassa præsentia & manducatione, ut vocant, Orali, & impiorum, phantasiam non sequuntur: hæreseos & atheismi nimis

mis audacter & superbè ab illo homine damnarentur. Suppressionem verò illius libri ianuam aperuisse toti nostro dissidio: inde satis liquet, quia simulatque amici isti mei rescivissent, me operam dedisse, ut liber qui iam erat sub prælo, supprimeretur: statim illi à me ab alienati, alios etiam ab alienare, me auersari, colloquio atque salutatione dedignari, ad vulgus traducere, apud Dominos accusare, ut diligenter obseruaretur in lectionibus, curare: commentariolos studiosorum qui meas scribebant lectiones, euoluere: quæ etiam multis antè annis docueram, examinare, occasionem accusandi & traducendi mei vndique captare, calumnias de me spargere: denique nihil omittere, ut aut spontè discederem, aut à Dominis dimitterer; ut verum fuisse illud ex ijs omnibus postea reipsaprehenderim, quod paulò antè relatum ad me fuerat: nimirum homines illos omninò apud se constituisse, ut non ampliùs Zanchum ferrent: id quod etiam de principio facile olfecit vir quidam prudēs, qui cùm vidisset quorsum ista tenderent, semel quendam sic compellauit: *Si queras Zanchum quoque cycere è Schola inauditum, sicut factum est cum D. Petro Martyre; cogitare debes, me simul quoque cum eo cyciendum esse.* Accusabar de Cæna Domini: cùm tamen de eatorum quadriennium nihil docuissem. Sed occasio huius accusationis captata fuit ex quadam epistola, quam pacandæ cuiusdam contentions gratia, ad quendam eram missurus. Hanc antequam mitterem, amicè & candidè cum quodam collega & amico contuleram: ut is videret an sibi probaretur necne; & si quidem emendatum vellet, emendaret, & postea vtriusque nomine mitteretur. At bellus homo & fidus amicus, paulò post propter suppressum Heshusij librum factus mihi inimicus: ea abutitur Epistola ad me apud Dominos accusandum, quòd de Cæna Domini aliter doceram & scribam quàm habeatur in Augustana Confessione: & tamen in ea Epistola probabam & Augustanam Confessionem & verba Recessus Francofurtensis: sed simul etiam Iudicium Philippi ad Illustrissimum Electorem Palatinum. Venit tunc mihi in mentem illius Syracidæ de illis quatuor iniurijs quæ omnem dirimunt amicitiam, *ὁνειδισμῶν, ὑπερηφανίας, ἀποκαλύψεως τῆς μυστηρίας, καὶ πλεονεξίας δολίας.* ἐν ταῖς ᾗ δὲ ἀποφύεται πᾶς φίλος. Quædam etiam docendi regulæ non minùs iniquæ quàm callidæ, ab eo mihi præscribebantur; cuius erat potius mecum discere quomodo sit docendum, quàm docendi præcepta alijs tradere. Accusabar quoque de fine seculi & de Antichristo, ac non ita multò post de Prædestinatione & de Perseuerantia: cuius etiam inchoata tractatione fuit mihi statim interdictum. Atque has quidem omnes graues contra me accusationes instituerunt amici illi mei: antè quàm illis de rebus mecum contulissent. Id quod tolerabile etiam fuisset, si saltem post accusationem aut illi venire mecum in colloquutionem voluissent; aut mihi doctrinam meam in Schola explicare & defendere licuisset. At cùm vidissem accusatoribus licere sanam doctrinam in Schola oppugnare, mihi verò minimè eam propugnare, decreui (neque enim aliter poteram per conscientiam) non ampliùs in Scholam docendi gratia redire, donec ea mihi libertas ad propugnandam veritatem restitueretur, quæ aduersario ad oppugnandam permittebatur. id quod quia nunquam fuit factum: idcirco in Scholam ampliùs non reuerti. Dissidium igitur Argentinense, hoc habuit initium. Venio nunc ad eius progressum.

Re & nomine Christianus Herlinus, felicitis memoriæ, vir non tantùm Latinè & Græcè doctissimus, & cui parem in cognitione historiarum ego vidi neminè, sed etiam vitæ inculpatæ homo, & sanæ doctrinæ puræque religionis studiosissimus, cùm esset etiā Scholæ partim Professor Mathematicus, partim Visitator diligentissimus, & in Thom. Consilio Canonicus, atque Scholasticus: de hoc dissidio retulit ad Consilium nostrum Thomanum, die 11 Martij anno M. D. LXI. in hæc ferè verba præfatus: Magno se dolore percepisse, inter duas præcipuas Capituli personas, grauè ortam esse controuersiam. Itaque se primùm ab illis petere, ut non grauentur causas suæ con-

trouerſiæ

trouersia Capitulo exponere: deinde à Capitulo, vt suam interponât autoritatem: & quantum fieri possit, hoc dissidium studeat componere. Nam & grauem, de quæ re grauißima esse controuersiam; & iam eam non ampliùs intra priuatos parietes agitari, sed etiam ad plurimos alios peruenisse. Præterea pertinere hoc non solum ad Capituli officium, eò quòd legem habeat de eiusmodi controuersis inter personas Collegij obortis, componendis: sed etiam honestatem Capituli hoc requirere, nimirum vt non patiatur inter suos, simultates aliquas aut controuersias locum habere. Tunc accusator, sibi non esse graue respondit, totum negotium Capitulo exponere; sed alio tempore, quòd tunc esset imparatus. Ego verò & gratias egi Herlino, propter illud pietatis officium, & me paratum esse respondi quocunque tempore negotium explicare: imò me totum illud Consilio committere. Consilium autem ipsum & laudauit Herlini studium, & operam quoque suam in componendo dissidio promisit.

Die insequentì, Consilium duos ex Collegis misit tum ad meum accusatorem, tum ad me, atque vtrunque rogauit: principiò quidem vt neuter grauetur in alterius præsentia suam Consilio exponere causam (hanc enim facillimam & breuissimam viam fore, neque meliorem inueniri posse:) deinde vt vterque suam causam Consilio velit componendam committere, non vt iudici, sed vt arbitro. Ad hæc accusator, se paratum esse Consilio totam controuersiam exponere, sed tria petere: Primùm, vt sibi liceat suam causam explicare absente Zanchio: idque ne ex illius aspectu animus dicentis aliorum rapiatur: deinde vt sibi liceat secundo loco dicere: postremò vt aduersæ parti, solum præcipua capita narrationis indicentur, ea nimirum quæ ad ipsam causam sunt necessaria: reliqua verò si quæ fuerint *πάρεργα*, reticeantur, vtpote quæ ad pacificationem non sint futura vtilia. Ego verò vtranque Consilij petitionem probaui, & me ita facturum recepi; atque omnino efficerent, vt suam quisque causam, altero etiam præsentè, diceret, rogauit. Consilium gratificari voluit meo aduersario in primo postulato; ac proinde statuit vt vterque nostrum seorsum audiretur: in altero non potuit, quòd nimis esset iniquum, vt reus primo loco diceret, actor verò secundo: Tertium verò vt æquum & vtile probauit. Atque vtinam contra illud suum tertium postulatam, accusator ipse non paulò post prior peccasset, & totum Consilium vt contra suum officium faceret, penè coëgisset: non enim dubito quin controuersia & facillè & citò fuisset composita.

Primo igitur loco, accusator suam habuit narrationem, idque ex scripto, me absente, die Martij vi. Qua absoluta duo scriptorum genera dedit Consilio: propositiones quasdam ex meis lectionibus collectas, quas improbabat: deinde illas docendi formulas quæ postulata vocauit, & quæ antea sua autoritate mihi proposuerat, nomine Scholarum mihi exhibendas tradidit: ad quas si vellem affirmatiuè respondere, omnem controuersiam sublatam esse aiebat. Habui deinde ego meam duobus diebus insequentibus. Qua finita, Consilium duo illa aduersarij scripta mihi exhibuit, vt & propositiones cognoscerem an ita docuisssem, necne; & ad quinque illa postulata responderem, idque scripto. Propositiones duobus in locis emendatas, pro meis agnoui: & quia singulæ nimis erant prolixæ & confusæ, eas redegi in eum numerum & ordinem quo in hoc libro sunt collocatæ: & remissi ad meum collegam: orans atque obsecrans vt quâsnam damner & quas ob causas damner, candidè & apertè respondeat: me enim paratum esse cedere veritati, modò ea mihi è Scripturis demonstretur: & ad argumenta, locos Scripturarum & Patrum autoritates, quibus mea probaui, respondeatur. Ad postulata quia nomine Scholarum iubeat respondere, respondi atque ostendi, ea partim fuisse iniqua, partim calumniosa, partim inepta: omnia verò non tam ad libertatem mi-

hi vni

hi vni eripiendam, quàm ad stabiliendam in omnes deinceps Professores tyrantiam spectare: ac proinde me neque velle neque posse per conscientiam & per meam existimationem, petitiones illas concedere. Volebat Consilium, quemadmodum par erat, & ego exoptabam atque petebam, ut audita iam utriusque narratione, & acceptis thesibus à me recognitis, acceptis etiam meis cum de Fine seculi, tum de Perseuerantia Sanctorum lectionibus, tandem ad causæ discussionem & cognitionem veniretur: & ea cognita citò componeretur. Proinde principio decreuit, ut contra quàm petierat accusator, ordine ageretur; hoc est, ut ille tanquam actor, priore loco ageret, ego verò tanquam reus, secundo. Deinde quia de principio detrectauerat accusator mecum agere coram, quòd non posset ferre faciem meam: idcirco Consilium misit ad eum tum scriptum meum de Eucharistia quod dederam ad primum illius postulatam: tum meas lectiones de fine seculi, & Theses à me recognitas: atque ab illo petijt, ut scripto indicaret, an omnia improbaret, an verò partem aliquam, & simul rationes adferret cur hoc probaret, illud verò improbaret. Atque hoc factum fuit die Martij xi. Idem Consilij decretum confirmatum fuit die xviii. eiusdem mensis Martij: ordinem non esse inuertendum, causam non posse melius cognosci, quàm si utrinque audiantur responsiones & refutationes; accusatorem debere ad propositiones & argumenta accusati respondere: & cur hoc probet, illud improbet, rationes adferre, ad quas deinde accusatus respondeat. Tandem die xxii. misit ad eum etiam prælectiones meas de Perseuerantia Sanctorum, ac petijt, ut ad eas responderet, & argumenta mea refutaret. Erat autem Consilio propositum, ut si ego convincerem, quemadmodum accusabar, hæreseos, & talis esse deprehenderem, qualis fueram accusatus: eijcerem ex Collegio, & nullum in eo ampliùs locum haberem, antequam resipiscerem & per Senatum restituerem. si verò non possem conuinci, ut interim in falsos accusatores nihil statueretur: sed seruata tam meam quàm illorū existimationem, pax fieret, dissidium componeretur, amicitia confirmaretur: id quòd cum ex tota actione, tum ex iis quæ habentur in Actis diei xviii. mensis Martij, liquidò apparet: *Si Zanchius, inquit clarissimus Ioannes Sturmius Præpositus Collegij, sit hereticus, & talis qualè dominus Decanus accusat: non is ferendus est in ista societate: imò si sit hereticus, non dignus est ut quisquam cum eo cibum capiat.* clariùs verò ex ijs quæ in responsione Capituli ad primam aduersariorum meorum contra me orationem, leguntur: *Nihil, inquit, in hoc tempore gratius atque incundius Capitulo, quàm ut sublato dissidio, ciuem, amicum, collegam cum uxore & liberis & existimatione, nobiscum in eadem ciuitate atque Collegio retineamus. Istud verò est studiosius Capitulum expetit, quòd grauior & periculosior causa domini Zanchij sit, quàm vestra. Vos enim etiam si causam vestram defendere non possetis, quod non speramus: tamen aduersus vos, iudices futuri non sumus. Zanchius verò si superabitur, si de ijs criminibus de quibus accusatur, conuinci poterit: in nostro Capitulo certè locum nullum habiturus est: antequam per Senatum restituatur, & resipiscat.* Hæc ibi. Quibus ex verbis illud etiam euincitur: immeritò atque iniuria accusatum traductumque postea etiam fuisse Capitulum ipsum ab iisdem meis aduersariis, quòd esset, ut eorum utar verbo, partiale. Certè si fuit partiale, ipsorum fuit, non meum partiale: & si qua in re peccauit, in eo certè peccauit, quòd plura quàm æquitas postulabat, meis aduersariis propter ipsorum auctoritatem concessit: & quantum potuit, studuit gratificari: quanquam hic non simpliciter damno Capitulum: scio enim hoc ab illo fuisse factum ea mente & consilio, ut aduersarij quos videbat difficiliore, perspecta voluntate Capituli erga se, & quòd ipsi quoquò res caderent, extra omnem essent aleam, faciliùs ei permitterent causam cognoscendam & componendam.

Ceterum quò magis Consilium hortabatur, rogabat & vrgebat aduersarios, ut tandem aliquando venirent ad causam ipsam: & si nollent mecum venire in colloca-

collocutionem, saltem scripto & sua probarent & mea refutarent, me etiam idem omnino facturum: eò magis ille quærere fugas & diuerticula, & per ambages extra causam euagari, ipsumque Consilium nouis quæstionibus implicare, nugisque occupatum tenere, idque à principio Aprilis vsque ad mensem Iulium, donec scilicet tandem causa indiscussa atque incomposita, vitio & culpa aduersariorum translata fuit à Consilio Thomano ad Senatum XII Virorum: id quod præter ea quæ dicta sunt, planum etiam facient ea quæ sequuntur, ex ipsis Actis fideliter in hanc Epistolam relata. Cum enim post auditas vtriusque partis Narrationes, veniendum esset ad statum causæ, aduersarius contra suum de principio datum consilium, imò factum postulatum, ita cœpit à Consilio flagitare totam meam narrationem, vt non desierit flagitare à x Martij die vsque ad eiusdem xxii: donec sua tandem importunitate quod voluit, Consilio etiam extorserit. In eam autem narrationem meam, tam fœda & tam putida expuit, vt Capitulum puduerit ea audire; ac proinde etiam mihi noluerit communicare: in illa enim responsione nihil ferè continebatur nisi nouæ contumeliæ, nouæ criminationes, nouæ calumniæ, noua conuitia.

Porro duo ex accusatoribus, qui hætenus federant inter alios arbitros, neque vnquam à me fuerant reiecti, vsque adeo fidebam bonæ causæ, cum vidissent Consilium seriò agere, & omnino velle causam legitimè tractari, discuti, cognosci: secessionem fecerunt à Consilio in cognitione huius causæ, professi se in ea, vt ipsorum iterum verbis vtar, esse partiales. Primarius autem accusator adferre causas, cur nollet amplius in Consilio hanc causam persequi; sed primum ad Ecclesiasticum conuentum, deinde ad Magistratum referre. Atq; hoc postremum contigit die 11 Aprilis, cum tamen nihil adhuc egisset, nisi quòd me de grauissimis criminibus accusauerat, nullum autem probauerat, lectiones suas, quas contra me habuerat, simplices Consilio exhibuerat: ad argumentum verò nullum eorum quibus mea probaueram, responderat, neque etiam ad meas propositiones quas probaret, vel improbaret, vllum responderat verbum. Vrgebat autem simpliciter, vt errorem deponerem, cuius me nondum conuicerat. Consilium itaque hominem hortari & rogare, vt pergeret, mihi responderet, mea argumenta refutaret: fore hoc vtile causæ quæ agitur, agi etiam de ipsius existimatione. Cum enim me accusarit multarum hæreseon, nisi me conuincat, fore illum infamem: debere eum spectare quòdnam munus sustineat, eius videlicet, cuius proprium est aduersariorum argumenta refutare, atq; vt Paulus ait, τὰς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν: suorum etiam antecessorum Bucerii & Capitonis exempla sibi esse imitanda: & eandem qua illi quoque in huiusmodi controuersiis vsi sunt rationem vsurpandam: conscientijs etiam collegarum nondum esse ab ipso satisfactum: cum nullum adhuc argumentum eorum quibus aduersarius suam probauit doctrinam, refutatum sit. Iis de causis Consilium decreuisse, vt is argumenta Zanchij quæ de certitudine fidei, hoc est, de perseverantia Sanctorum attulit, diligenter inspiciat ac refutet: Zanchum etiam ad argumenta illius responsurum. Ad hæc ille: se persistere in sententia, quòd scilicet nolit amplius in posterum cum Zanchio coram Capitulo agere, se etiam existimare quòd satisfecerit Capitulo, quòd doctrinam Zanchi satis refutarit, & suam comprobarit, neque se recusare alio tempore vbi plus otij habuerit, Capitulo plenioris suæ doctrinæ probationem adferre: idque in gratiam Capituli non Zanchi. Displicuit vehementer hoc responsum Capitulo, quod cuius in primis erat curare vt leges Consilij, in quas omnes recens iuraueramus, seruarentur; ipse prior contra eas faceret: & quòd cuius in primis erat cuiusuis aduersarij argumenta refutare, is recusaret ad argumenta sui collegæ respondere: cum tamen Consilium sæpius hoc ab illo postulasset: interim verò ipse cerneret, Collegam publicè etiam in concio-

nibus

nibus perstringi, & plurimarum hæreseon apud omnes passim accusari: Rogauit igitur iterum hominem, vt pro suo officio & causam retineret in Consilio, & ad argumenta mea de Perseuerantia Sanctorum responderet. Hoc idem officium fecerunt etiam Domini Scholarchæ. At homo ille, qui quiduis aliud malebat, quàm ad mea argumenta respondere: aliam elabendi viam excogitauit. Nam qui antea solus causam contra me agere in Consilio solitus erat: is XII Aprilis non solus ampliùs, sed stipatus aliorum quorundam caterua, in Consilium ingressus, suo suorumque nomine habuit orationem, cuius hæc fuit conclusio: Etsi nullo iure teneantur causam quam contra Zanchium habent, persequi in Consilio: vt tamen Consilium videat, se non fugere lucem, & paratos esse omnes Consilio morem gerere, iccirco se constituisse, iuxta petitionem Consilij coram illo in hac causa progredi: ad hunc modum tamen, vt Zanchius quas nudas dedit propositiones, declararet & confirmet sacre Scripturæ testimonijs, & Patrum autoritatibus; sed ita vt cogitet sibi non esse replicandum: eodem modo se etiam suam ita confirmaturos doctrinam, vt nulla ampliùs opus sit replicatione: tunc verò se meas propositiones declaratas & confirmatas accepturos & examinaturos: & si quid boni in illis fuerit, quod sacre Scripturæ & Augustanæ Confessioni consentiat, libenter agnituros; reliqua quæ in illis fuerint repugnantia suæ doctrinæ, confutaturos absque vlla vltiore replicatione. Hæc fuerunt ipsorum verba. Consilium autem grauiter admodum & sapienter respondit ad totam illam orationem: & propter reliquos qui tum aderant, actionibus autem nunquam interfuerant, vt completeretur summam eorum quæ eousque acta fuerant, principio ostendit causam, cur per viii iam septimanas compositum non sit dissidium, imò ferè nihil actum, hære in ipso primario accusatore: qui neque sicut petierat Consilium, venire vnquam voluit in colloquutionem cum suo aduersario: neque etiam ad illius argumenta scripto saltem, sicut promiserat se facturum, respondere; imò qui sua importunitate ipsum etiam Capitulum secus quàm constituerat, agere, & pene contra suum officium facere coëgit. Deinde grauissimis rationibus demonstrat, debere aduersarios pati vt hæc causa à Consilio cognoscatur: neque curare, vt aliorum transferatur, quod fiat contra leges Capituli. Tertio, quia accusator dixerat, se & officio suo & petitioni Capituli respondendo ipsi Zanchio, satisfecisse: reliquum nunc esse, vt causam transferat ad conuentum Ecclesiasticum primum, deinde ad Magistratum: Consilium ostendit, illum neque suo officio neque Consilio satisfecisse: cum Zanchium nondum conuicerit, sed accusarit hæreseos: & neque illius refutarit, sed sua tantum exhibuerit; ac proinde nullam esse rationem cur causam debeat à Consilio ad alios transferre: imò contrà, grauissimas esse causas, cur debeant ad argumenta mea de Perseuerantia Sanctorum, quæ præcipua erat controuersia, respondere. Rogauit autem eos, vt hanc suam causam non accusatorio explicarent aut defenderent animò; sed pastoralis studio; & voluntate non eijciendi ciuem cum liberis & vxore per dedecus è ciuitate: sed retinendi, si probus sit & sinceram retineat doctrinam. Postremò quod ad exitum orationis accusatorum attinet, de qua suprà, ita respondit. Non esse illam commodam rationem componendi dissidij: tum quòd rediretur ad ipsum principium, & quidquid actum eousq; fuerat, totum foret inane: tum etiam quòd accusatus cogeretur priore loco causam dicere, qui posteriore debet respondere: & videretur prouocare eos à quibus ipse fuerat accusatus. Neque etiam opus esse ea, quam petunt, explicatione & declaratione: cum iam habeant aduersarij argumenta, & probationes earum rerum de quibus est controuersia, de Fine seculi, de Cœna Domini, de Perseuerantia Sanctorum: imò non opus esse de omnibus istis tribus disceptare, si de tertio constet: quòd de quæstione de Cœna Domini, toto quadriennio Zanchius nihil locutus sit: de fine autem seculi, liberum

semper fuerit iudicium. Consilium igitur adhuc ab illis postulare, imò rogare: vñ sicut Zanchio tradita sunt illorum argumenta refutanda, contra Perseuerantiam Sanctorum: sic ipsi refutent illa quæ ipse pro Perseuerantia exhibuit: ex eorum autem comparatione, Consilium sperare, videre, & intelligere posse, vtrā pars probabilioribus & melioribus nitatur rationibus, atque hac ratione neque rediri ad primum exordium, & neutri fieri iniuriam, & posse breuiter perueniri ad exitum controuersiae & ad Christianam concordiam, & vitari etiam illam quam metuant, infinitatem argumentandi & refutandi. Tantum verò abest vt illa oratione, & amica obsecratione potuerint flecti ad morem Consilio gerendum, vt potius magis exacerbati fuerint illorum animi. Proinde responderunt, se iam videre, sibi non tam cum Zanchio in posterum, quàm cum ipso Consilio negotium fore. Deinde petierunt sibi illam orationem dari, vt ad eam responderent. Consilium præter alia respondet, non cupere sibi ad illud scriptum responderi: sed vt accedatur ad causam ipsam, & respondeatur ad Zanchij argumenta: neque se adhuc posse, sicut ipsi postulabant, apud Zanchium efficere vt consentienter cum illis doceat, quòd neque illius argumenta essent adhuc ab ipsis refutata, neque ipse conuictus, quòd sit hæreticus, Anabaptista, Catharus, Schvuenckfeldianus, Nouatianus, Chiliastes. Ad hæc illi, se velle de ijs omnibus deliberare, sed ante omnia, velle respondere ad scriptum quod sibi iam sit recitatum. Consilium igitur quoniam flagitarunt illud scriptum, & se vltius minimè progressuros in causa, indicarunt, nisi ad illud prius responderent: tandem illis concessit quod petebant, rogatis tamen prius, ne longiorem moram ampliùs inijcerent. Cæterum illi accepto scripto, discesserunt: & à vi Maij, vsque ad xiii Iunij nunquam in Consilium redierunt. Tandem autem reuersi, ad orationem quidem Consilij, Germanicum dederunt responsum, illudque prolixum: ad mea verò argumenta nullum, sed se tamen parasse responsionem ad meas propositiones & lectiones aiebant, cupere se eam Consilio recitare. Quia verò ea sit prolixior quàm vt paucis horis possit recitari: videri sibi consultum, vt singulis diebus vna hora aut altera, illius responsionis recitationi impendatur. statuat igitur Consilium, quo tempore velit audire.

De responsione autem quod dixerunt ad propositiones & lectiones, res ita se habet: Inter meos accusatores, vnus est, qui quoniam ceteris exercitior est in lingua Latina & Græca & artibus, cæteris etiam eruditior apud omnes habetur, & qui plura possit solus scribendo, quàm reliqui simul omnes. Hac de causa ego etiam pluris illum faciebam quàm reliquos, præsertim quia etiam liberior est, neque amabat vulpis ingenium. Cæterum in doctrina de Prædestinatione, de Gratia & libero arbitrio, minoris erat iudicij (an nunc meliùs sentiat necne: ignoro) quàm alij inter suos permulti, vt qui apertè damnaret Augustinum in ea doctrina. Huic primarius accusator, quocum tantùm mihi principio erat controuersia, propositiones illas, quas abs se mihi obiectas, à me verò recognitas & digestas, ad eum remitteram, vt notaret quas improbaret & quas non improbaret: inspiciendas & refutandas exhibuerat. Is verò, siue solus, quod magis credo, siue ab alijs adiutus, strenuè fecit officium. Nullam enim reliquit, cuius singula propè verba non oppugnarit, idque prolixè admodum & verbosè. Simul verò etiam oppugnauit quascunque potuit habere meas de Prædestinatione lectiones, multis etiam annis antè à me in Scholis habitas: suam verò contrariam doctrinam, multis conatus est confirmare. Interim tamen ad autoritates & argumenta de Perseuerantia Sanctorum, ad quæ sæpenumerò rogati à Consilio fuerant vt responderent: neque ipse neque alij vnquam responderunt. Non contentus autem & theses meas & lectiones, imò nominatim Augustinum oppugnasse: propè etiam infinitas inseruit in illa responsione calumnias, vt de conuictijs & iniurijs, quibus in singulis ferè paginis afficior,

afficior, nihil dicam. Equibus calumnijs sunt etiam illæ, quarum depulsionem exhibui primùm Dominis in mea Supplicatione: deinde in hunc librum retuli. Hæc est illa responsio, quam recitare voluerunt Consilio: sed neq; illi neque mihi exhibere legendam aut examinandam, multò minùs refutandam: sine vlla autem, vt illi loquuntur, replicatione, volebant vt Consilium ex ea tantùm audita pronuntiaret:

Consilium porrò, quod ad Germanicum illud responsum attinet, datum suæ orationi: iudicauit pro eo tempore nihil esse respondendum, sed relinquendum in suo genere; idque ne dicere possent aduersarij, Consilium occasionem aliquam moræ dedisse. ea de causâ omnia esse dissimulanda; & partim tempori, partim illorum stomacho concedenda. Quantum autem ad illam paratam responsionem, & ad modum agendi in causâ attinet: iudicauit ipsis esse indicandum, Consilio videri commodiorem hanc rationem esse, vt ad mutuam cum Zanchio colloquutionem veniant: sicut enim fore, vt se mutuò meliùs possint intelligere, & non opus sit tantum temporis in lectionem & recitationem eorum quæ iam longo tempore conscripserunt, insumere. Etenim si ipsi hæc omnia quæ iam per aliquot menses collegerunt, velint, absente Zanchio, in Consilio recitare: necesse fore, vt eadem postea etiam Zanchio exhibeantur, eique tantum temporis, aut etiam plus concedatur, vt ad ea respondere possit: præsertim cum ipse non habeat tot scriptores, quorum opera perinde vti possit, sicut ipsi ex duobus collegijs, & priuatis conuictoribus habere potuerunt. Atque sic fore vt quæ hætenus in quintum ferè mensem acta sunt, rursus in alium quintum, aut sextum mensem protrahantur. Quod si verò ad mutuum colloquium descendant: fore hoc non solum causæ vrile & necessarium: sed ipsis etiam honestum: alioquin enim videbuntur disputationem detrectasse, quam antea visi sunt expetere. Quod si tamen omnino constituerint scripto agere, & cum Zanchio sermonem conferre detrectent: Consilium velle ipsis morem gerere, sed petere, vt omnia quæ collegerunt, Consilio dent, vt singuli priuatim possint legere, nec opus sit singulis diebus conuenire, præsertim cum alioquin illa recitatio superuacanea sit futura, & personæ Collegij alijs quoq; negotijs sint implicatæ, vt non ipsis vacet quotidie conuenire. Hæc iudicauit & decreuit Capitulum xiv. Iunij. Illi tamen qui delecti fuerant vt hoc Consilij decretum ad accusatores referrent: ostenderunt Consilio inutilem omnino futuram recitationem illam, quam accusatores promiserunt: proinde omnino vrgendum esse & postulandum ab ipsis, vt cum Zanchio disputent. Nam etiam si omnia recitauerint, necesse tandem fore, vt veniant ad mutuam disputationem. Igitur xvii. Iunij facta fuit optio hæc accusatoribus, vt aut coram Consilio, nemine alio qui de Consilio non sit, adhibito, disputent cum Zanchio: vel etiam adiunctis alijs ex Senatu doctis viris, qui ipsos possint intelligere: aut disputent in Conuentu Ecclesiastico, adhibitis primùm omnibus Ministris & Diaconis: Deinde Presbyteris & alijs doctis viris è Repub. postremò professoribus & classicis præceptoribus, qui hætenus huic causæ interfuerunt. Prætereà illis indicauit, si cupiant habere vel ex Senatu, vel ex alijs ordinibus doctos viros, qui disputationi intersint: vt vel ipsi priuatim à Magistratu hoc petant: vel vnà cum Consilio. Ad hæc illi xix. Iunij: se mirari cur Consilium nolit vt scripto agant: cum tamen antea ipsis fuerit concessum, & ipsi iam sint parati. Itaque se rursus petere vt liceat sibi scripta sua quæ collegerunt, recitare. Quod verò ad disputationem attinet, aut ad arbitros à Magistratu postulandos, se nihil velle affirmare: esse hoc Consilio liberum à Magistratu petere, vel non petere: facturos se in hac re quidquid à Magistratu iussi fuerint. Et adiecerunt, se omnia ista quæcunque faciunt, in gratiam Capituli facere: cum Zanchio nihil sibi ampliùs esse negotij. Audita hac responsione, posteaquam Rector Scholæ & Con-

filijs Præpositus dixisset, se mirari cur accusatores dicant, à Magistratu petendum prius esse ut liceat disputare: cum tamen disputationes illi Scholæ ab initio fuerint concessæ, & ante ea tempora, hoc est, ante dissidium, frequentissimæ semper fuerint, neque quisquam adhuc eas prohibuerit: rursus rogati fuerunt accusatores, utrum velint stare iudicio Magistratus necne: nimirum si Consilium à Magistratu disputationem & arbitros impetret, utrum ipsi velint cum Zanchio tum disputare? Responderunt illi adhuc xxiij Junij, se neque disputationem neque arbitros à Magistratu postulatuos: sed permittere illud Consilio, deinde facturos se quidquid à Magistratu iussi fuerint. Eodem igitur die: missi à Consilio fuerunt tres ad Dominos xlii Viros; qui breuiter quid eousque actum fuisset in causa, indicarunt, & quæ de illa esset Consilij sententia, significarunt, & ut disputatio institueretur postularunt.

Ego qui tribus abinde mensibus nunquam fueram in Consilio, nostræ causæ gratia, quod totum illud tempus fuisset consumptum altercationibus inter Consilium & Actores exortis: ubi audiui, Consilium nihil potuisse ab aduersarijs obtinere quo causa cognosceretur & componeretur, ac proinde rem totam ad Dominos xlii Viros retulisse, & quid in ea actum esset significasse, & utri bonam causam haberent, suam sententiam dixisse, disputationem etiam postulasse, & omnia acta ad eos referre constituisse: curavi ut per Præpositum conuocaretur Consilium. me enim habere quæ exhibeam & quæ petam. Decimo igitur Iulij, attuli in Consilium refutationes omnium argumentorum aduersæ partis contra doctrinam de Perseuerantia Sanctorum, quæ mihi antè exhibuerant refutanda, ut illa quoque vnà cum Actis traderentur Dominis xlii Viris. Petij verò ut orationes illæ duæ contumeliosæ nimium, & grauissimis criminationibus plenæ, quas aduersarius pridem habuerat contra meam primam Narrationem, & quas Consilium noluerat mihi tum refutandas, ne aditus ad causam retardaretur, exhibere: iam tandem aliquando, translata cum sit causa ad Dominos, mihi darentur, quod possem in tempore meam defendere existimationem; quod alioquin si exhiberentur Dominis sine mea responsione, foret id mihi & meæ causæ fraudi. Consilium noluit meam annuere petitioni, sed rogauit ut aliquantisper adhuc expectarem, donec in causa aliquid certi à Dominis pronunciaretur: postea se illas mihi concessurum, ut meam existimationem, honorem atque famam, quacunque fas esset ratione, defenderem.

Hæc est summa illius quem in Thomano Consilio controuersia nostra habuit, infelicis progressus, fideliter ex ipsis Actis necessario à me contra nouas aduersus mediætas criminationes, recitata; ut tu ex illa, Illustrissime Princeps, alijque etiam omnes intelligant, vbinam culpa hæserit tantæ moræ: & cur non fuerit compositum à principio dissidium nostrum, in Consilio, hoc est, in arbitris, an in Reo, an verò in Actoribus. Non certè in Consilio, nisi fortè ex accidenti, quatenus videlicet ab initio causæ, ut antea dictum est, nimium concessit actoribus. Cæterum, liquidò apparet, Consilium sicut nihil non est passum propter hanc causam, laborum, molestiarum, iniuriarum & calumniarum: sic etiam nihil non egisse, nihil studij & diligentiae non adhibuisse, quod aut disputaremus, aut in colloquutionem veniremus, aut saltem scripto alter ad alterius argumenta responderemus. Neque enim vidit sapientissimum Consilium quam alia bona & iusta ratione posset controuersia, aut verè cognosci, aut bene solidèque componi. Silentio certè non debebat sepeliri: erat enim controuersia de religione, eoq; de communi omnium salute, neq; etiam citra disceptationem poterat componi. Quomodo enim contradi-
ctoriæ sententiæ: hæc doctrina est hæretica: & hæc doctrina nō est hæretica: conciliari simpliciter queat? Erat igitur opus, ut aut istæ diuersæ sententiæ disceptarentur
vel

vel coram, disputatione aut colloquio: vel scriptis vtrique probationibus & refutationibus: aut alterutra pars sine altercatione cederet veritati. Illi perpetuò meam damnare sententiam in Scholis & in templis: Ego vtrò ab illa recedere, nisi prius per Scripturas conuinceretur erroris, neque volebam, neque etiam poteram aut debebam. Quid igitur aliud faciendum fuit Consilio quàm quod fecit? Egone ad simplicem accusationem damnandus, aut ad simpliciter subscribendum sententiæ aduersariorum adigendus? Proinde quod quidam dicebat Consilio, *Subscribat Zanchus meis postulatis, & sublata mox erit omnis controuersia: & illud, Effici-te vestra autoritate, vt Zanchus deponat errorem, & consentienter nobiscum doceat*: item illud pontificium fulmen, *Itaque nishos iam recitatos errores Zanchus damnet, & veram agat pœnitentiam, promittatque se deinceps in omni sua doctrina non recessurum ab Augustana Confessione eiusque apologia: pro fratre & collega meo in posterum neque agnoscam neque habebò*: & quod alius quidam proponebat, *Zanchus, inquit, dicat Amen, & facta est pax*: prudenter Consilium vidit, dicta fuisse non tantum iniquè, sed etiam ridiculè & pueriliter. Quales etiam sint illæ compositiones, quàm veræ, quàm firmæ, quàm salutare: quæ sine vlllo partium colloquio, sed tantum consensione in nouos nescio quos articulos, ab hominibus compositos, & ad causam de qua est controuersia, nihil aut parum facientes, fieri aliquando solent: idque tantum vt errores non reuocentur, sed dissimulentur: re ipsa videmus & experimur. Non potest, non potest verè tolli vlla de religione controuersia: nisi demonstratis prius ex verbo Dei, deinde etiam condemnatis & reuocatis erroribus. Sic semper solitæ fuerunt tolli in primitiua Ecclesia & in veris legitimisque Concilijs. est enim pluris semper faciendæ veritas, Dei que gloria & Ecclesiæ salus; quàm omnium hominum quantumuis charissimorum, adeoque & propria cuiusque nostrum existimatio, & verò etiam vita. Et in religione nulla vnquam probanda est dissimulatio. Quare Consilium Thomanum non potuit nec debuit aliter sese gerere in nostra controuersia tollenda, quàm se gessit: aduersarios videlicet vrgendo, vt hominem ab se accusatum hæreseos, hæreseos etiam conuincerent; idque vel coram per colloquium aut disputationem, vel datis in scripto non tam suæ sententiæ probationibus, quàm etiam argumentorum aduersæ partis refutationibus: id quod cum perpetuò fecerit, euincitur nullam in eo hæsisse culpam quo minùs controuersia fuerit composita.

De reo autem, hoc est, de me, mallem certè ab alijs & quidem ab ipso Consilio scribi quomodo me gesserim in causâ, quàm à me ipso. Quia tamen propter nouas criminationes pro me dicere cogor: rogo te, Illustrissimè Princeps, & quotquot hanc legerint Epistolam, vt me habeant excusatum, si de me & hic & infra, ea retulero, quæ non tantum ad meam defensionem, sed etiam ad laudem aliquam faciunt. cogor enim id facere: sicut etiam Apostolus à suis aduersarijs nonnunquam coactus fuit multa de se prædicare. Sed non referam nisi certissima atque verissima, quæ etiam ex Actis demonstrari, & ab omnibus Collegis meis, qui me ex continua annorum x i. familiarissima consuetudine, optimè norunt; quique omnia quæ sunt acta in mea causâ, apprimè tenent: possunt confirmari. Hoc igitur in præsentia dico: sicut à me non fuit excitatum dissidium (vt ante etiam demonstraui) sic neque per me fuisse continuatum. Cæterum si illi propriè dicuntur dissidia excitare in religione, qui non contenti doctrinâ à Prophetis & Apostolis in S. literis tradita, & à Patribus explicata, & ab Ecclesia Dei recepta, noua etiam dogmata vel à se excogitata, vel ab alijs hominibus accepta, veteri autem Ecclesiæ inaudita, tanquam ad salutem necessaria populis obtrudunt: illi autem dissidia continuare, qui pertinaces in suis sententijs, nullam volunt admittere disceptationem, aut colloquutionem, qua veritas discussa innotescat, & refutatis damnatisque erroribus, in sana do-

etrina, vera solidaque consensio fiat: sed simpliciter volunt & iubent, ut alij omnes
 suæ subscribant doctrinæ, id quod proprium est Antichristi: rogo, Tu ipse iudices,
 Illustrissime Princeps, vtrum Zanchius dissidij Argentinensis fuerit autor & con-
 tinuator, an verò illius accusatores. De primo facillè fieri potest iudicium ex quali-
 tate meæ doctrinæ quam illi damnarunt hæreseos: hoc est, ex meis tum thesibus,
 tum lectionibus, tum ad calumnias responsionibus, quæ in hoc habentur libro. De
 secundo verò, ex ijs quæ partim retuli, partim referam ex nostris Actis. Ac proinde
 patefiet, quàm verum sit illud quod post factam vtrunque compositionem, mihi
 publico in loco & multorum consensu obiectum fuit: me videlicet nouum indi-
 cere bellum pro meo ingenio: & illud quod alter in me nuper scripsit conuitium,
 me hominem esse *ἐχθρὸν*. Principiò constat apud amicos permultos, cum primùm
 eos vidi quibuscum colueram amicitiam & familiaritatem annos non paucos,
 post & propter suppressionem Heshufiani libelli, statim à me fuisse ita abaliena-
 tos, ut obliti omnis veteris amicitiae, societatis, sodalitij, pietatis, aliorum etiam
 tam Dominorum & ciuium, quàm meorum auditorum & collegarum animos, à
 me quotidie abalienarent: partim calumnias contra me spargendo: partim doctri-
 nam etiam sanam damnando: Constat, inquam, quantum animo dolorem perce-
 perim ex illa, tum animorum abalienatione, tum sanæ doctrinæ oppugnatione, id
 quod etiam vnum est ex præcipuis meæ Narrationis capitibus; de quibus expostu-
 lo cum meo aduersario; quòd videlicet sine vlla legitima causa, pacem & concor-
 diam multorum annorum, vno momento violarit. Constat deinde ex Actis, cum
 Herlinus causam retulisset ad Consilium: me & gauisum fuisse, & gratias illi pro
 hoc officio egisse, & tum etiam paratum fuisse statim totum negotium Consilio
 exponere: vsque adeò optabam, controuersiam à Consilio cognosci, atque com-
 poni. Neque illud est obsecrum, nihil à me Consilium pro cognitione & composi-
 tione dissidij petiisse, in quo non ei libenter obtemperauerim. Petijt ut vterque
 suam causam in alterius præsentia Consilio exponeret, & eidem ut arbitro, com-
 ponendam permitteret: vtrique petitioni libenter ego assensus fui, & ut ita fieret,
 rogavi. Iussit me respondere ad postulata aduersarij & ad propositiones mihi obie-
 ctas, an pro meis agnoscerem necne: vtrunque feci. Iussit sibi dari conclusiones
 meæ Narrationis, quòd adeas vellet respondere aduersarius: dedi. Iussit deinde
 dari etiam totam Narrationem: non recusavi. Postulauit lectiones meas de fine se-
 culi, de Perseuerantia Sanctorum, & scriptum de Eucharistia, ut exhiberentur ac-
 cusatori: attuli. Dedit mihi lectiones aduersarij contra doctrinam de Perseueran-
 tia Sanctorum: atque ut ad omnia illius argumenta & auctoritates responderem,
 mandauit: respondi. Quòd autem petij, ut prima oratio aduersarij mihi daretur re-
 futanda; hoc feci coactus & illius exemplo prouocatus; alioquin non petiturus, ne
 cognitio causæ in longum protraheretur. Cum verò illas duas contumeliosas aduer-
 sarij orationes quas petieram, quòd me possem purgare, Consilium denegasset pro
 eo tempore, idq; ne accessus ad causam impediretur: acquieui eius voluntati. Quo-
 ties verò ego spontè petierim ut tandem ad causam veniretur, & ordo in agendo
 seruaretur, ne vlla oriretur confusio: satis etiam liquet. Per totum illud tempus
 quo causa fuit in Consilio, ego bis tantum pro me dixi: cum aduersarij perpetuo
 ibi contra me agerent, meque & in concionibus ac Scholis, meo tamen suppresso
 nomine, traducerent. interim æquo animo omnia tuli, & tacui, ne causæ cogni-
 tio, mea culpa impediretur. Quoties autem petierim non tantum de principiò,
 sed deinceps etiam vsque ad finem, ut disputatio haberetur, aut saltem amicam
 colloquium, imò quoties etiam obtulerim priuatam cum vnoquoque colloca-
 tionem: notum est collegis omnibus, & Acta prorsus non tacent. Taceo hic reli-
 qua quæ post translata à Consilio ad Dominos causam, egi, quòd lis omnis, salua
 tamen

tamen vera doctrina, tolleretur. Testimonia etiam Consilij non tantum de bonitate mea causæ, sed etiam de reliqua doctrina, & de meo ingenio, de moribus & vita, quæ decreueram hîc recitare: differo in alium locum. Satis est nunc demonstrasse, id quod etiam de Consilio antè conclusi; nimirum sicut per me non fuit accensum dissidium, sic etiam non steterit, quò minus statim fuerit extinctum. Consilium, huius quod de me conclusi, apertum dat mihi testimonium in Actis, & in suis responsionibus ad orationes aduersariorum meorum, tum supplicationibus ad Senatum. Eant igitur & dicant, Zanchium ingenij esse contentiosi & bellum indixisse. Si hoc, est bonam causam & sese defendere, ad falsas accusationes respondere, ad disputationem aut colloquium inuitare, conuitia & calumnias depellere: fateor quod dicunt. sin verò est, falsò aliquem accusare, sanam doctrinam damnare, de rebus non necessarijs litem mouere, ac denique conuitijs & calumnijs laceßere: iudicium esto penes eos qui me & meos aduersarios, meam & illorum causam, meas & illorum actiones, meum & illorum ingenium norunt.

Nunc igitur à Consilio vnà cum causa egressus, transeo ad progressum quem illa fecit extra Consilium.

Translata causa ad XII Viros, aduersarij quidem pergebant doctrinam controuersam, tanquam iudicatam, ad plebem è suggestis inuidiosè proponere atque damnare: ita vt animi ciuium in dies magis ac magis à me abalienarentur. Tredecim verò, quinque viros doctos & rerum peritos delegerunt: qui & Acta perlegerent, & quid ad componendum hoc dissidium facto opus esset, suam quique sententiam dicerent. Etsi autem tum Consilij antea audiissent & sententiam & petitionem, tum etiam quid horum quinque doctorum virorum pars maior atque sanior consulisset, intellexissent, nimirum instituendam aut esse disputationem aut saltem amicam colloquutionem: non visum est tamen ipsis nec reliquo postea Senatui, illud vnum optimum audire Consilium. id quod tamen non dubito illos facturos fuisse, si animaduertissent aduersarios meos hoccupere, aut saltem non recusare. Quæ enim alia compendiosior via excogitari poterat ad finem illis molestijs imponendum: quàm si iuberet, vt iuxta consuetudinem Scholarum, rem ipsi inter nos professores & collegæ aut in Schola, aut in Consilio decideremus ac componeremus? Ego ab amicis aliquot sollicitabar, vt redirem in Scholam, ita tamen vt de controuersa doctrina, initio nihil verborum facerem: quòd si postea alius de eadem re occurreret locus, mihi non prohiberi, quin pergam in mea tractatione, modò rem ipsam tantum modeste tractem, in personas autem non inuehar. Scholarchis enim & Dominis satis perspectam esse meam causam. Hîc respondi: si hoc nomine Scholarcharum aut Dominorum mihi significetur; facturum id me perlibenter, & mihi nihil esse optatius, sin minus: non facturum; quòd nollem si de controuersa doctrina loquerer, vel in Dominos peccare, vel occasionem dare aduersarijs mei de nouo crimine accusandi: si verò tacerem, nollem silentio meo committere vt vel prodere veritatem, vel illam non audere defendere, vel sententiam mutasse viderer. Interim non solum ego ipse in Consilio cum dabatur occasio, sed etiam extra Consilium per amicos rogabam aduersarios, vt mecum vellent de rebus controuersis amicè vbiubi liberet, colloqui. me sperare, si boni viri essent, & nihil aliud quàm veritatem quærerent, futurum, vt ex familiari colloquio intelligant, doctrinam quam defendo non esse, vt ipsi putabant, impiam & hæreticam. Viuunt adhuc illi qui hæc norunt, & quorum opera ad id obtinendum utebar.

Cæterum cum vidissem mihi nihil responderi, ac proinde colloquium tacitè denegari: profectus per Germaniam ad alias Ecclesias atque Academias, & quidem adhibito delectu; ex quo nihil aliud quàm veritatem & pacem me quæsiisse o-

omnes intelligerent: contulicumpijs Theologis & alijs viris doctis, de hac contro-
uerfa doctrina, atque exhibitas theses rogavi diligenter examinarent; ac si quid in
illis minùs orthodoxum deprehendissent, me vt fratrem, seposito omni humano
affectu admonerent. sin verò quæ docui, consentanea esse S. literis iudicassent, ne
grauarentur testimonium, & quidem scriptum, dare veritati: idque partim vt meus
Magistratus perspicuè videat, à me nihil in sua Schola impium atque hæreticum
traditum fuisse: partim vt delecti à Magistratu, siue arbitri, siue iudices, ex multis
certisque piarum Ecclesiarum & celeberrimarum Academiarum iudicijs, tuta
conscientia & sine vllò iustæ reprehensionis metu, de tota nostra causâ iudicare
& pronuntiare liberè possint. Secutus sum autem hac in re exempla aliquot Pa-
trum, Basilij, Athanasij & aliorum: qui cùm de doctrina accusarentur, persecutio-
nẽmque à tyrannis paterentur; conferebant se ad Ecclesias alias: & illarum iudicia
exquirebant & audiebant. Quid dico exempla Patrum? Imò Pauli exemplum imita-
tus sum: quem Paulum ad Apostolos Hierosolymam profectum fuisse legimus, vt
cum illis de suo Euangelio conferret: non quòd de eo ipse dubitaret, sed vt illud
testimonio etiam reliquorum Apostolorum comprobatum, facilius à Gentibus &
Iudæis reciperetur. Illi itaque Academiarum & Ecclesiarum patres tum diligen-
ter examinatis Thesis, tum attentè perlectis quibusdam meis scriptis: illa tan-
dem dederunt testimonia quæ hîc inserui, atque tandem euulgari maxima necessi-
tate coactus curavi.

Dum ego cum Theologis per Germaniam communico doctrinam contro-
uersam, & illorum iudicia exquiro: Argentinæ Senatus id dant operam, vt Acta &
vtriusque partis scripta (erant autem hæc non pauca) à delectis ad hoc munus, dili-
genter legantur, summa referatur, & quid quisque ipsorum sentiat, factuque ne-
cessarium pro componenda controuersia iudicet, significetur. Delecti strenuè su-
um faciunt officium. Accusatores autem, sicut à principio cœperant, sic etiam per-
gunt. Quibuscunque possunt modis, priuatim & publicè, verbis & scriptis contro-
uersam doctrinam, impietatis atque hæreseos damnant; & hominem accusatum,
inuisum, odiosum atque execrabilem omnibus reddunt. Atque hunc stilum & so-
num ad extremum vsque, hoc est, vsque ad tempus compositionis continuant.
Licet enim post meum reditum, cùm sparsa iam esset fama, doctrinam meam ab
Academijs & Ecclesijs aliquot fuisse comprobata, cœperint eorum nonnulli di-
cere, tolerabiles esse theses: aiebant tamen adhuc lectiones ipsas esse intolerabi-
les, & in eis latere venenum. Ac proinde licet Senatus non semel & iterum iussis-
set eos modestiùs agere, doctrinam traditam per Bucerum non damnare, neminem
etiam nisi apertè hæreticum, & omnium verarum Ecclesiarum iudicio damna-
tum, perstringere, omnes potiùs sermones ad concordiam & ædificationem ac-
commodare: illi tamen ab instituto non destiterunt. Ego verò cùm hæc partim
audirem, partim viderem, & cuperem causam cognosci atque componi: princi-
piò rogavi Dominos, efficerent vt veniremus ad aliquam amicam collocutio-
nem: sperare me futurum, vt intra horam agnoscant aduersarij, doctrinam quam
damnant, non esse, vt ipsi putant, hæreticam aut nouam: eos idcirco hallucinari,
quòd me meamque doctrinam non intelligant: non dubitare me, si boni sint viri,
quin posteaquam me audierint, aliam de me concipiant opinionem, & doctrinam
quam malè intellectam damnant, eandem explicatam probent. Deinde idem sup-
plicauì cuidam magno, & magnæ non tantùm potentia atque autoritatis, sed etiam
prudentiæ & virtutis Principi; curaret apud Senatum, vt colloquium institueretur,
me nihil aliud cupere, quàm vt veritas cognoscatur. Quin & theologum quen-
dam magni nominis, qui cum illo erat Principe, non semel per Christum rogavi,
vt suam vellet interponere auctoritatem, quòd causâ componeretur, & dissidium
tollere-

Dux Vir-
temb.

Iob, Brent.

colloretur; me illum deligere arbitrum: deligant & aduersarij quemcunque velint alium. vsque adeo fidebam bonitati causæ. Atq; hoc contigit mense Februario anno M. D. LXII. Tandem mense Martio, obtuli Supplicationem Magistratui, eamq; Latinam & Germanicam. Quidam enim fratres eam conuerterunt in linguam popularem, propter Senatores illos qui Latine non intelligebant. In ea Supplicatione, explicavi primùm, quantum dolorem animo perceperim ex illo dissidio, tum propter veritatem oppugnatam atque damnatam, tum propter Scholam vulneratam, amicitiam inter collegas violatam, Magistratum nostris contentionibus perturbatum, deniq; etiam propter læsam meam mei que ministerij existimationem. Deinde etiam quæ me in illis animi molestijs recrearent atq; reficerent, bonitas causæ, testimonium bonæ conscientiæ, æquitas Magistratus, placiditas populi Argentinenfis, communis fors rectè docentium, testimonia collegarum & omnium bonorum virorum, qui me intus & in cute ex longa multorum annorum consuetudine norant. Tertio LXII. calumnias ex libro contra me ab aduersarijs scripto, mihi verò nunquā ab ipsis communicato, Magistratui autem, vt antè dictum est, clam me exhibito, à me semel per quandam occasionem intra noctem vnā perlecto, excerptas refutauī. Postremò petij atq; rogauī, quod ad conuitia atque contumelias & calumnias attinet, curarent vt ea omnia aduersarij mihi probarent, idq; coram Dominis, quò possem me defendere. Quòd si illi vel nolint, vel non possint præstare; curent igitur Domini, vt mea mihi existimatio restituatur, declareturque, me talem non esse qualis per urbem fui traductus. Me enim propter muneris mei rationem pluris facere nomen & existimationem meam quàm diuitias multas, vitamque ipsam. Quod verò attinet ad eam doctrinam quam fateor me in Schola docuisse, quæque quatuordecim thesibus comprehensa est: hæc in verba meum feci postulatam: *Quoniam propter illam doctrinam vocarunt me Anabaptistam, Catharum, Schvuenkfeldianum, Nouatianum, hominemq; plenum hæreseon: peto secundo loco, vt aduersarij sistantur, & mihi probent, talem doctrinam esse hereticam, & deinde me esse hereticum. Neque enim satis est dicere, sed oportet dicta confirmare. alioquin si satis sit accusare, nemo poterit esse innocens. Neq; satis est dicere, Probauimus Dominis, tum verbis, tum dato libro: sed oportet etiam probare mihi, vel saltem propositiones mihi dare, vt me defendere queam. Quod si hoc noluerint, aut non potuerint præstare: protestor, doctrinam quam docui, esse orthodoxam: ac proinde magnam mihi factam esse ab aduersarijs iniuriam quòd talibus me affecerint calumnijs atq; conuitijs. Quamobrem obsecro Dominos, vt & Christi doctrinam iniquè damnatam vindicent, inq; suam & Scholam & Ecclesiam restituant, & meam innocentiam declarent, atq; defendant sua sententia aut quacunque fas erit ratione.* His tum verbis Senatui amplissimo supplicauī, quibus etiam hoc adieci: *Peto praterea vt neque iuxta librum aduersariorum, quem contra omnes Theses ab ipsis mihi obiectas scripserunt, ego iudicem. Non est enim æquum, vt iuxta tantum aduersariorum scripta de me iudicium fiat, antequam illa videam ad eaq; respondeam. Ad hæc prater quam quòd infinitas continet calumnias liber ille, debet etiam vobis esse suspectus, tum quòd Capitulo relinquere examinandum noluerunt, tum quòd nullum ad me miserunt exemplum, vt viderem & responderem. Certè si veris & solidis rationibus meas theses refutassent, & ipsi suam doctrinam contra meam satis confirmassent, non grauati fuissent illum dare & mihi & Capitulo: id quod amor veritatis postulabat. Postremò in eo apertè damnant Augustinum in doctrina de Prædestinatione, & fatentur meam doctrinam eandem esse cum Augustini doctrina. Oro itaque vt illius libri mihi copia fiat. Hæc etiam ibi ad verbum. Ad extremū petij disputationem aut colloctionem, aut saltem vt mihi liceret aut verbis in Schola, aut scriptis extra Scholam, meam causam modeste & Christianè defendere, in hæc planè verba: *Quòd si hæc non sunt satis ad iustificandam doctrinam hanc propter quam hæreseos accusor, curetis vt mecum veniant in colloctionem, coram doctis, quibusque huius ciuitatis hominibus. Est petitio hæc iustissima. Ea enim antiquissima omnium scholarum & Academiarum per totum terrarum orbem consuetudo est: vt si quid altercationum de doctrina inter professores oriat, illud in Scholis ipsis**

disputando discutatur. Quod si altera pars disputationem detrectet aut diu subterfugiat, illa tanquam tacite euita & superata damnatur. Hoc si in hac quoque urbe principio quo excitata fuit hac controuersia, sicut petieram. factum fuisset; non fuisset huc usque extracta hac plus quam hostilis perniciosaque contentio, non tot tantisque molestias Domini mei perpessifuisent, non tam diu dissipata fuisset Schola, non tanta exorta fuissent inter multos inimicitia, non denique tot tantaque negotia toti ciuitati facta fuissent. Peto itaque, curetis, ut tandem aliquando publica disputatio instituat, cui intersint Domini & doctissimi quique ciuitatis: est enim necesse, ut tandem huc veniatur. Quisecus consulunt, nec veritatem nec vestram existimationem amant. Peto postremo, ut dum lis pendet, efficiatis, ut aut sicut ego cogor tacere, sic etiam vestri concionatores de ijs rebus controuersis taceant: aut si vultis liberè illis lucere sententiam nostram publicè, additis etiam conuitijs, impugnare: mihi quoque liceat sine conuitijs vel verbis in Schola, vel scriptis extra Scholam: non meam, sed tot tantarumque Ecclesiarum doctrinam, quam esse Christianam & orthodoxam profiteor: propugnare. Nequaquam enim equum est, ut accusatoribus liceat pro sua libidine calumniari: reo autem non liceat calumnias depellendo, se & suam innocentiam defendere atque tueri. Hortor ergo & obsecro: cogitetis diligenter, quale initium & quales progressus habuerit hac controuersia, qualèmq; habitura sit exitum, nisi vos vestra prudentia ac potestate fortiter quodpium & iustum est, defendatis, & quæ possunt inde consequi mala, maturè auertatis. Hæc sunt, Domini mei clementissimi: quæ pro me in hac controuersia semel tandem dicere & vobis supplicare constitui. Nihil narraui quod non possim probare. Proinde poteritis pro vestro arbitratu, hac cum ipsis etiam Pastoribus communicare. Nihil enim in tenebris: sed omnia in luce volo agere. nam nihil magis odi quam tenebras. Rogo boni consilii meam in dicendo cum libertatem, tum prolixitatem. Hæc fuit summa meæ ad Senatum Supplicationis, vnà cum Iudicijs Academicarum & Theologorum, exhibitæ die XXI Martij, anno M. D. LXII. Ad hæc tandem responsum fuit nomine Senatus: in hanc sententiam. Senatui vehementer dolere, tam grauem inter suos ciues, Doctores præsertim & Professores ortam esse controuersiam, curæ etiam sibi esse doctrinam pietatis & omnium suorum ciuium ac professorum existimationem, nec permissurum ut cuiquam vlla fiat iniuria. in hoc negotium versari, ut causa cognoscatur & componatur. iubere igitur me quiescere & bono esse animo, donec id quod breui futurum sit, finis controuersie imponatur.

Non ita multò post exhibitam meam supplicationem, Ioannes etiam Sturmius, Rector Scholæ & præpositus Collegij, iudicium suum de ratione qua possit dissidium componi: Dominis qui illud petierant, exhibet, die nimirum XXVI Martij eiusdem anni M. D. LXII. Cuius Iudicij præcipuum caput hoc fuit: *Se in hac esse sententia, non posse componi hoc dissidium, nisi veniatur utrinque in colloquutionem, & eam quidem eiusmodi quæ deceat Christianos homines, paucis ex Senatu prudentibus & doctis viris adhibitis, idque ob graues causas quæ ibi explicantur. Hanc viam sibi videri & facilem & equam.*

Aduersarij post exhibitum longè antea librum contra omnes meas theses: de quo antè non semel mentionem fecimus: Apologiam etiam quandam offerunt Senatui, & post eam, minorem, ut ipsi vncant, Confessionem, eamque Latinam, XXI III. Iunij, anno M. D. LXII. Illam non legi, hanc tandem paulò antè quam Argentina discederem, vidi ac perlegi. In ea principio agunt de Cæna, & nominatim damnant tum Bullingeri librum de Multis mansionibus: tum Martyris dialogum Pantachum, cum Bezæ explicatione de Cæna: quæ in Summa Christianæ religionis Synodo Gallicanæ anno M. D. LX. exhibita, continetur. Contendunt autem corpus Christi verum & ore corporis percipi, & ab ipsis etiam Indignis, hoc est, ut ibi explicant ipsi, impijs & nulla vera fide præditis, manducari. Et hanc iactant fuisse sententiam Bucerii, Capitonis & omnium suorum in Ecclesia Argentinensi

nens prædecessorum. Deinde agunt de Prædestinatione, atque hinc initio doctrinam Gulielmi Holbrachi tunc temporis Ecclesiæ Gallicanæ quæ Argentinæ erat, Pastoris dignissimi, in certas redigunt propositiones, atque eas nunquam cum ipso autore communicatas, damnant: & vocant errores tetros, blasphemos, atque furores. Postremò iuuehantur denuò in omnes meas illas theses quæ sunt de Prædestinatione & de Vinculis, de Perseuerantia, & de Promissionibus. In horum autem refutatione, multa iterum per calumniam inferunt iniuriosa & contumeliosa, non tam contra me, quàm contra omnes eos qui mecum bonam causam defendebant.

Horum occasione permoti Rector, Visitatores & alij Professores (nouerant enim qualia ab aduersarijs scripta exhibita fuissent Magistratui) ipsi quoque offerunt Supplicationem, mense insequenti, nempe Iulio. In ea principio dolent, dissidium ab aduersario meo contra me (licet enim omnes fatentur) excitatum, nunquam potuisse intra annum & sextum mensem componi, neque à Consilio, neque à XII Viris. Deinde conqueruntur de autore dissidij, quòd reliquos aduersarios in eam conspirationem pertraxerit, quòd grauib. calumnijs Capitulum & Scholamclàm opprimere conatus sit, quòd nullum modum suæ iniuriæ & intolerabilis potestatis teneat, quòd eò deuenerit audaciæ, vt antequam causa iudicata sit, pro suo arbitratu in quos vult, animaduertat: quòd ex duobus Collegijs propter hanc controuersam causam, ignorantibus Scholarhis, aliquos stipendijs fundatorum spoliaret atque eiecerit: quòd non contentus Confessione Magistratus Argentinensis quam Cæsari anno xxx. obtulit: non contentus etiam illis loquendi modis quibus Bucerus est usus: non contentus Confessionibus alijs Maiorum Ecclesiæ Argentinensis, vt illa quam conscripserunt anno m.d.xxxiii. & quam anno xxxix. & quam anno xlii. eijciat qui in sua de Cæna Domini non iurent verba: quòd ipse cum alijs suis constituerit Diaconum quendam senem, doctum, pium, quia nobiscum eandem defendat causam, ab Ecclesiastico conuentu excludere; & alius in animum induxerit, cum eo in Cæna Domini non communicare. Hoc Consilium atque institutum, cupiditatem atque audaciam & violentam potestatem, iam ampliùs neque à Capitulo, neque à Visitatoribus, neque à Professoribus ferri posse. Tertio loco, aliquot graues calumnias, circiter nouem, contra se ab aduersarijs sparsas, iniuriasque factas commemorant, atque vt se ab ijs Senatus defendat, dum eas probare accusatores non poterunt, postulant. Quarto loco, & de multis accusant aduersarios, tam in actionibus quàm in doctrina: & contra, doctrinam quam in me illi damnarunt, contendunt consentaneam esse scriptis Prophetarum, Apostolorum, Augustini, Lutheri, Bucer, Capitonis. & Confessionibus ciuitatis Argentinensis. Quinto loco, offerunt suam Confessionem etiam non requisiti: atque eam quidem ipsissimam quam composuerat & conscripserat Bucerus anno xxxix: Capito autem & Hedio & Zellius sua ipsorum manu notauerant & comprobauerant. Continet autem illa Confessio summam doctrinæ de Prædestinatione, eoque & de Perseuerantia, & de Cæna Domini. *Αὐτὸς* *ῥεαφον* verò erat tum Argentinæ apud optimum virum, verum & fidum Buceri discipulum, amanuenssem, symmystam & amicum, Cunradum Hubertum. Postremò hæc à Magistratu petunt & orant: primùm agant cum aduersarijs, quò contenti sint quatuor vrbis Confessionibus: vna Magistratus quam Augustæ anno xxx Cæsari obtulerunt, & quæ Elector Saxonie, Tu Princeps Lantgrau, & Legati Principum, Vestræ Confessioni consentaneam esse dixistis atque approbastis. altera quam Pastores, Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, cæteri que parochi & ministri anno xxxii. contra Hofmannum & hæreticos illius temporis proposuerunt. tertia quam ediderunt an. xxxix. in minori Synodo: quæ fuit concessa à Senatu, vt sexto quoque anno haberetur, ad retinendâ puritatem & disciplinam Ecclesiæ. quarta, quæ inuulgarunt

anno

anno XLVIII. cū adhuc Bucerus adesset & viueret Hedio, cui etiam ipse aduersarius noster subscripsit. Alterum etiam petunt, nempe, vt si aliquod dubium oritur in Confessione Augustana Principum: illius dubij non cogantur responsionem accipere ex libris Heshusij, Vvestphali, aut ex sensu & vtilitate aduersariorum nostrorum, sed ex S. literis, ex Patribus, ex scriptis, disputationibus, lectionibus Maiorum nostrorum, & ex quatuor vrbis Confessionibus: præsertim ex Apologia Confessionis quatuor ciuitatum. Tertium, vt disputationes Collegio restituat: & aduersarij vel disputent nobiscum: vel desinant in concionibus de ijs quæstionibus dicere quæ falsissima sunt: neque magnos viros, aliasque innumeras nationes quæ Euangelium profitentur, propterea damnent, quòd aliter quàm ipsi, de Cœna & de Prædestinatione sentiant atque doceant. Quartum, vt decretum Senatus quod anno superiore fecerat: aduersarij seruent: hoc est, vt nihil decernant, aut noui aliquid instituant absque scitu Presbyterorum: neque hi aliquid absque consensu Magistratuum: & vt conuentus Ecclesiasticus reuocetur ad antiquam suam formam. Hæc enim decreuerat Senatus, & decretum legi iusserat in conuentu: sed aduersarij noluerunt ei obtemperare. Postremum postulatum: ita habet ad verbum: *Vt quoniam in Capitulo librum ostenderunt contra conclusiones Doct. Zanchij, quem recitare quidem in Capitulo præcipitanter parati erant: sed relinquere Capitulo, vt diligenter examinaret, noluerunt: & quoniam Confessionem Senatui his diebus obtulerunt: Rogamus Dominos nostros, vt utrumque scriptum nobis exhibeant: quo de utroque possimus nostram explicare sententiam. Quod ita faciemus, vt & rationem constituendæ concordie, & veritatis, & obedientie erga Magistratum nostrum, summam videamur habuisse. Et quoniam duas orationes aduersus Zanchium habitas nos neg, Zanchio ostendimus, concordie spe, neque nostram de his exposuimus sententiam in Actis nostris: si neque colloqui, neque disputare volunt: vt nobis liceat ad has respondere, & huiusmodi responsionem, cū absoluta erit, ad Acta illa adicere. Et quoniam ipsi Acta quædam sua XIII Viris tradiderunt, quæ nos non vidimus, & illa liceat nobis cum nostris conferre Actis, quæ dicimus esse verissima, absque vna commutata sententiola. Atque istud postremum propterea petimus: quòd absque hoc causam nostram non posse commodè iudicari arbitramur. Non pigebit nos huius laboris atque scriptionis: si vobis Dominis non displicebit nostra petitio, quibus omnem in nostro ministerio diligentiam, studium sollicitudinem, obseruantiam pacem atq. concordiam pollicemur, quanquam isto postremo labore non esset opus, neg, Magistratui in cognoscendo, neg, nobis in scribendo, si conceditur colloquutio & disputatio, sine qua non videmus quomodo componi istud dissidium possit: vt veritas retineatur, & doctrina pura in Schola maneat.* Hæc fuit Professorum Scholæ Supplicatio. Senatui exhibita, vt antè dixi: Mense Iulio M. D. LXII.

XVII. Octobris, noua excitatur controuersia in Thomano Consilio: vbi eramus plerique omnes collegæ. Occasionem huic nouo dissidio dedit examen, quo duo ibi iuxta leges Consilij erant cū de rebus alijs, tum de religione in primis examinandi. Erat autem scriptum in legibus, examen esse faciendum iuxta nostram Augustanam Confessionem. Maior igitur pars per *Nostram*, intelligebamus Confessionem Argentinensem, quam Cæsari exhibuerant anno xxx. Aduersarij verò interpretabantur Confessionem Principum, & iuxta hanc examen esse faciendum contendebant: minimè verò standum Confessioni Argentinenfium, quòd ab hac (sic enim aiebant) recesserint, cū illam alteram receperunt. Nos contrà, cū illa Principum minimè pugnet cum hac Argentinenfium, id quod nos demonstraturos pollicebamur, in dogmatibus fidei: non dicebamus, consequi Argentinenfes à sua defecisse, propterea quòd alteri subscripserunt: quare vtramque esse retinendam, & nobis licere breuiorem & obscuriorem, per eam quæ fufior est atque clarior, interpretari. Quare si quis examinatus de Prædestinatione, & de Cœna, & de Perseuerantia, respondeat iuxta explicationem quæ traditur in Confessione cum
sua

sua Apologia Argentinenſium, præſertim ſi addat, ſe Auguſtanam quoque Principum orthodoxè intellectam, admittere: eum non eſſe reiſciendum. Examinatores igitur omnes, numero quatuor, excepto quinto qui erat ex aduerſarijs, in ipſo Conſilio, præſentibus Scholarchis, propter vuculas quasdam contra ſe, & maiorem melioremque Conſilij partem in vulgus proiectas, proteſtati ſunt ea quæ iam iam ſubijciam. cui proteſtationi, ego quoque cum reliquis collegis ſubſcripſi: ea-que Senatui poſtea exhibita fuit. Summa autem proteſtationis hæc fuit. *Nos proteſtamur, ita nos retinere Confeſſionem Auguſtanam noſtræ ciuitatis, Cæſareæ maiestati oblatam anno xxx. vt etiam Auguſtanæ Confeſſioni Principum ſubſcribamus: imò pollicemur, eam orthodoxè intellectam, nos vnà cum noſtra deſenſuros contra Pontificios, contra ſectarios, contra omnes hoſtes Euangelij & veritatis.* Deinde addiderunt: Quòd Argentinenſi Confeſſioni nominatim vellent examinandos adſtringere: id ſe facere multis ijs-que grauiffimis de cauſſis: inter quas hæc vna quoque fuit: quòd ex Actis liquidò conſtaret, legatos Argentinenſes cum Auguſtanæ Confeſſioni Principum Schvuiinfurti ſubſcripſerunt, anno xxxii. proteſtatos fuiſſe nomine ciuitatis, ſe ita Confeſſioni Principum ſubſcribere, vt à ſua minimè recedant: atque hanc proteſtationem ab altera parte, hoc eſt, à Legatis Principum conceſſam fuiſſe. Cum itaque Senatus hanc formam examinis iuxta ſuam Confeſſionem, Thomano Conſilio & alijs Collegijs omnibus de principio præſcripſerit: ſe non poſſe, niſi cum iniuria Senatus ab illa recedere, quando neque Senatus ſine dedecore infamiæ, à ſua Confeſſione recedere poteſt. Ad hæc proteſtantur, ſe non improbare modos loquendi Eccleſiarum Saxonicarum, *In pane Corpus Domini ſumi, in calice ſanguinem Domini bibi*: ſed ita, vt Lutherus ſe explanauit: vt iſte cibus non ſit cibus ventris, neque panis vertatur in Corpus Chriſti, neque corpus Domini localiter includatur in pane, vel lateat in pane: & vt manducatio quæ ſit ore corporis, pani propriè competat; corpori verò Domini, non niſi ob Sacramentalem vnionem tribuatur, & huic Sacramento nihil ex opere operato concedatur. Proteſtantur etiam ſe ſic examinatos ſecundum Confeſſionem vr- bis, vt nihil contrarium ſtatuerent velint vtrique Confeſſioni & Principum & Vr- bis: nihil etiam præſcripturi Senatus voluntati & poteſtati. id verò quod in omnibus minoribus iudicijs licitum eſt facere: id ſe ſibi aſſumere, vt ſcilicet iudicent ſecundum ſuam conſcientiam. Huic Examinatorum proteſtationi, noſtrum plerique omnes propria etiam manu ſubſcripſimus. Deprecabamur verò hoc vniuerſi vnum, propter quod ortum fuerat diſſidium: vt ne cogeremur Auguſtanæ Confeſſionis interpretationem ab aduerſarijs noſtris, partim diſcipulis, partim condiscipulis accipere. Hoc autem petebamus, rogabamus, orabamus, obſecrabamus, vt in ea doctrina manere nobisliceret, in qua Capito, Zellius, Hedio, mortui ſunt: & quam Bucerus quoque ad annum vſque xliix. quo diſceſſit in Angliam, docuit, illuſtrauit, defendit, nec mutauit per reliquum vitæ ſpatium: & contrà, ne paterentur Domini eam doctrinam, quam maiores noſtri publico decreto ex ea vrbe eiectam voluerunt, & quæ eiecta fuit quando vixerunt Capito, Zellius, Bucerus, Hedio, nunc denuò reuocari: & concederent, vt illam quam eodem decreto mandauerant in templis doceri, & incorruptam retineri: retineremus & doceremus. Decretum autem illud mox ſubijcitur Germanicè, ex libro qui inſcribitur *Ordinatio & Ceremoniæ Eccleſiæ Argentinenſis*. Demonſtratur etiam luce clariùs in ea proteſtatione contra accuſatores, Senatum Argentinenſem à ſua Confeſſione minimè reſceſſiſſe. Sunt & alia in illa proteſtatione: ſed hæc eſt ſumma eorum quæ hic commemorari operæ pretium, imò neceſſarium fuit. Ex ijs enim perſpicuum ſit, quàm falſa fuerint illa quæ aduerſarij in vulgus ſpangebant, quæ ad aures vſque Principum & magnorum virorum peruenerunt: Stur-

mium, Zanchium, & suos, Augustanam Confessionem non agnoscere, imò impugnare, & inimicos esse doctrinæ Argentinensis. Augustanam enim vestram Confessionem, Princeps Illustrissime, semper amplexi sumus: & obtulimus nos ipsi ad defendendam illam contra omnes aduersarios, tantùm de intelligentia quorundam locorum fuit disceptatio. Illi suam obtrudebant interpretationem, nos dicebamus petendam illam esse cùm ex scriptis doctissimorum Patrum in Germania: rum præsertim ex libris Buceris & aliorum Ecclesiæ & Scholæ Argentinensis antehac Doctorum atque Pastorum: eamque eatenus admittendam, quatenus consentanea esset S. literis. Speciatim verò de doctrina Ecclesiæ Argentinensis, quid opus est longa Apologia, cùm de ea re conquesti simus perpetuò, quòd in nobis eam damnant doctrinam, quam apertè Bucerus & alij Ecclesiæ Argentinensis Patres, vno & perpetuo consensu, & tradiderunt voce in Scholis ac templis: & libris editis confirmarunt, & ad absentes transmiserunt atq; posteros? Propterea in Supplicationibus & Protestationibus illud semper vrsimus: liceret nobis eam defendere doctrinam, quam Maiores nostri nobis scriptam reliquerunt, & in qua ipsi mortui sunt: & contrà, quam illi, vt impiam, damnarunt; eam reuocari in urbem ne paterentur. Quid apud ipsos Compositores, cùm in eo laborarent vt nos conciliarent, aliud vrsimus quàm hoc: Curate, vt aduersarij concedant nobis doctrinam Apostolorum in articulis controuersis, iuxta explicationes Buceris & Maiorum nostrorum, & facta est pax? Sed ad institutam narrationem redeo.

xxii. eiusdem mensis Octobris, obtuli ego Senatui meam, sicut petierant, de tribus articulis, Prædestinatione, Perseuerantia, Cæna, confessionem, tam Germanicè quàm Latinè scriptā. In ea probaui meā sententiam testimonijs Scripturarum, deinde Patrum, postremò doctorum nostri seculi, atq; in primis Lutheri & Buceris, Confessionibus etiam Ecclesiæ Argentinensis & Pastorum. Atq; vt summam illius complectar, luculentissimè demonstraui, de Prædestinatione quidem & Perseuerantia me nihil docuisse, quod non ante me Apostoli primùm atq; Prophetæ, deinde Augustinus & alij multi Patres, demùm Lutherus & Bucerus (vt ne alios commemorem omnes) scriptum reliquissent; ac protestatus sum, me non aliter sentire quàm illi docuissent, & isti explicassent. De Cæna verò, idè planè me sentire ac docere, quod Ecclesia Argentinensis in sua, imò quatuor Ciuitatum Confessione & Apologia docet: ac proinde nihil dissentaneum à Confessione Augustana Principum profiteri. Vestri enim Legati, Princeps Illustrissime, anno xxx. in Comitijs Imperij Augustanis, visa atq; perlecta Confessione, quam à Capitone, Bucero, atq; Hedione compositam, Iacobus Sturmius, & alij Argentinenses Legati, Cæsari exhibuerunt: apertè dixerunt Argentinensibus, illam cum sua in omnibus dogmatibus re ipsa conuenire. Præterea vt omnis dubitatio tolleretur, demonstraui, eandem doctrinam confirmatam fuisse in Synodo Argentinensi anni xxxiii. item in Confessione anni xxxix. post ipsam etiam concordiam factam inter Lutherum & Bucerum & alios: nec non in Confessione Buceris de Cæna, quam anno xlii. in Schola dictauit, & ad cuius finem hæc adiecit verba: *Martinus Bucerus, ita in Domino sentio, & in hac sententia opto venire ad tribunal Dei.* deinde in ipso etiam compendio religionis & doctrinæ Pastorum Argentinensium, edito anno m.d.xlii. vt Confessionem quam Bucerus in eadem re ex Anglia misit in Germaniam, omittam. imò planè idem docui quod Brentius in sua exegefi in Ioan. cap. 6. in tractatiuncula de Cæna Domini. Proinde obsecraui Dominos, curarent vt doctrina suarum Confessionum & Apologiæ, in sua Ecclesia & Schola retineretur. Me enim cognoscere illā pro Christiana, & vt Christianam amplecti. Quòd si aduersarij contèdere adhuc velint, doctrinam tam de prædestinatione quàm de Cæna, quæ habetur in confessionibus & Apologia ciuitatis, esse erroneā: cogāt illos venire in disputationē. Me enim & meos collegas

con-

contrarium defensores, & doctrinam veterem illius Ecclesiæ piam esse demonstraturos. Ad extremum, obtulime, si quæ dedi, non satisfacerent, ad maiorem illorum trium articulorum explicationem; quando, ubi, & quomodo, Domini iussissent. Sperabam itaque breui futurum, ut tandem aliquando vel crimine hæreseos per Senatus sententiam liberarer: vel cogerentur aduersarij in disputationem aut amicū colloquium venire: vel saltem mihi concederetur, ut possem ipse mihi bona & honesta aliqua ratione, labem illam hæreseos in Schola & apud Ecclesias abstergere.

Ceterum cum vna ex parte viderem, procurrente iam ad exitum anno ab excitata controuersia altero, totam illam meam spem inanem prorsus esse ac desperatam: altera verò ex parte audirem, aduersarios minimè desistere à semel suscepto impune instituto: consulo amicos quid factū opus sit. Illi arbitrantur omnino necessarium esse, ut quando voce non licet; scriptis in lucem emissis, & causam bonam, & me meosque defendam, ac crimine hæreseos liberem. Senatum enim nunquam, quæ sua est in politicis rebus prudentia, sumturum sibi vllum de religione iudicium; in hac præsertim causa, quæ non inter vnum & alterum, sed inter professores Scholæ & Pastores Ecclesiæ tamdiu est disceptata, & adhuc disceptatur. Eundem etiam, ut me ipse & causam in Schola defendam, non concessurum; quod maiores metuat tumultus. Iussurum verò, ut veniatur in colloquutionem aut disputationem non debere me adduci, ut sperem: cum non semel animaduernerit, partē aduersam hoc subterfugere. Nullam etiam spem esse futuræ alicuius in Germania pro hoc tempore Synodi; in qua hæc causa cognosci & componi queat. Nullam igitur aliam superesse, suo iudicio, rationem defendendæ bonæ causæ, quàm ut scripta quæ ad illius defensionem faciunt, inuulgem. Facile se perspicere, eorum qui fauent aduersarijs, consilium esse, ut tota causa silentio sepeliatur. Sic autem non consuli neque gloriæ Dei, neque veritati, neque Ecclesiæ Christi, neque existimationi multorum & magnorum virorum. Senatum porrò iure non posse conqueri de me, quòd mea euulgem, cum neque ipse velit causam iudicare, neque ut disputatione, vel colloquio discutiatur, iubere, neque ut à me in Schola defendatur, permittere. Tum ego ijs victus rationibus, ea quæ mihi visa sunt magis ad causæ defensionem pro eo tempore necessaria, collegi, & typographo imprimenda dedi: nempe Iudicia Ecclesiarum de thesibus, prælectiones aliquot meas, vnde sumtæ theses, & calumniarum quarundam depulsionem.

Dum verò hæc cuduntur, protestantur contra Consilium nostrum Thomam, principio quidem primarius accusator: deinde quatuor alij Canonici, secessione facta à Consilio. Erant autem ij quinque tantum in toto collegio mihi in hac causa aduersarij. Protestati verò fuerunt, cum alijs de rebus ad Consilium pertinentibus, tum de examinatione facta iuxta Confessionem Augustanam Argentinensium, de qua ante dixi.

De hoc verò importuno schismate & intempestiua protestatione, Consilium conquestum est apud Senatum die 15. Ianuarij anni M.D.LXIII. deinde ad illam scripto responderunt. Summa responsionis, quantum attinet ad caput protestationis de Examine, ac proinde de religione, hæc est: Protestantes ipsos facere iniuriam toti Ecclesiæ, nedum Senatui Argentinensi, dum aiunt, illos à sua Confessione quam obtulerant Cæsari Augustæ: recessisse; quòd hoc nihil aliud sit, quàm dicere, illos à religione quam professi sunt in Comitibus Augustanis, & in qua tot præclari viri mortui sunt, turpiter defecisse. Deinde luculentissimè permultis rationibus demonstrant, Argentinenses à sua Confessione, etiam in articulo de Cæna nunquam recessisse, idque faciunt partim ex ijs quæ transacta fuerant Augustæ inter Principum & Argentinensis Reipublicæ Legatos: partim ex ipso municipali

examine: partim ex decretis aliquot Senatus, etiam post exhibitam Carolo Confessionem, factis: partim denique ex varijs Synodis, Disputationibus, Actis Argentinensibus in causa religionis: & testimonijs Bucer confirmant. Falsum igitur esse crimen aduersarij: Examinatores & reliquum Consilium mutasse aut infirmasse examen municipale. Deinde ostendunt Confessionem Christophori Stipitij & Doctoris Massarij, quorum occasione excitatum fuerat illud nouum dissidium, omnino consentaneam esse cum Confessionibus Capitonis & reliquorum Argentinensium doctorum. Quantum autem attinet ad caput de corrupta ab ipsis doctrina, in hæc verba respondit Præpositus:

Quantum verò ad id caput attinet de corruptione doctrina: fatetur Præpositus, hanc querelam ad se pertinere, & se dixisse fatetur, Concionatores aliter & alia docere de Cæna Domini & de electione Sanctorum, quam Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, omnes Pastores & Diaconi docuerint, legerint, scripserint, disputarint. Imò amplius addit: & dicit eos in questione de Prædestinatione docere contraria. & respondet, si hoc illi credere nolunt, subscribant articulis doctrinae Ecclesiae Argentinensis, quam, Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, Theobaldus Nigri, Ioannes Lenglinus, ceteriq; anno XXXIX. tertio post Concordiam ediderunt: subscribant summario doctrinae Ecclesiae Argentinensis, quod factum est anno XLIX. subscribant Retractionibus Bucer quas Lutherus probauit. Subscribant his quæ Bucerus scripsit in octauum & nonum caput Epistolæ ad Roman. quæ consentiunt cum ijs quæ Lutherus scripsit in præfatione Epistolæ ad Roman. & contra Erasmus Roterodamum, & Augustinus & alij Patres antiqui contra heresim Pelagianorum. Dicant, Dominos non recessisse à Confessione & doctrina sua, neque Augusti in comitijs anno XXX. neque Schvünferti anno XXXII. neque vllò post tempore. Si hæc dicant, vult culpam deprecari, & se errasse confiteri. dum autem sic agunt vt agunt, non se posse aliud credere. Senatum verò in hunc rogant modum. Credimus, inquiunt, nos ad omnia respondisse, clarissimi Domini: & quanquam omnia diligenter cognosci & iudicari à vobis postulamus: tamen nihil per æquè cupimus considerari, atq; illam questionem quæ est de Confessione & doctrina Maiorum nostrorum. Si vos iudicabitis Senatum & Legatos Ciuitatis recessisse à sua Confessione, hoc est, doctrina: quod factum est, irritum nos facere non possumus: sin verò in eadem mansisse: petimus, vt in hac nobis manere & hanc defendere liceat. De his duobus cognoscere atque iudicare, vestra est autoritatis atque potestatis. Ad extremum verò, ijs verbis compellant primarium aduersarium. A. D. M. postulamus vt respondeat, verane an falsa doctrina Maiorum nostrorum fuerit. Si vera, cur non subscribit? & cur vexat nos? si falsa, cur non colloquitur? cur non disputat? Item illud rogamus, si veram esse doctrinam Maiorum nostrorum putat: an nos intelligere Maiorum nostrorum doctrinam arbitretur, necne intelligere? Si intelligere, cur non idem loquitur quod nos? si non intelligere, cur nobis non explicat, vt intelligere possimus? Si ad hæc nobis respondere recusat, nos protestamur, id nos fecisse & facere, quod viros bonos & memores suorum præceptorum fecisse & facere decet, & id pati, quod collega à collega pati non deberent, & id passuros retenta veritate, quod homines constantes & Christianos pati decet.

Hic est progressus, quem communis causa posteaquam à Consilio Thomano ad Senatum fuit translata, ante compositionem fecit. Ex ijs autem omnibus, facile potes, Illustrissime Princeps, videre, grauissimam fuisse multis nominibus controuersiam, ac proinde grauem etiam postulasse cognitionem ac dijudicationem.

Cum verò neque Senatus vellent vllum sibi de illa sumere iudicium: neque aduersarij vllam vellent admittere disceptationem, aut amicam colloquutionem, neque etiam ego vellem silentio causam sepeliri: Coactus tandem aliquando fuit Senatus, nempe biennio post ab excitato dissidio, aliunde viros accersere, partim Theologos, partim legum & rerum peritos: qui causam & diligenter cognoscerent, & sapienter componerent. Venerunt igitur Argentinam circa medium mensem Februarium anni M. D. LXIII. alij Tubinga, alij Biponte, alij Basilea: Theologi quatuor.

quatuor, & politici totidem, honorificentissimè à Senatu excepti, magnificè per mensem & ampliùs tractati, ac tandem etiam liberaliter dimissi. Designatum illis fuit proprium & honorificum domicilium, atque eò omnia Acta, scriptaq; in causa iussu Dominorum perferuntur, ut ea legant & causam cognoscant.

Dum verò in ijs perlegendis occupantur arbitri: fit mihi à Sturmio certa spes futuræ disputationis. se enim accepisse à viris fide dignis: Senatum constituisse, ut tandem veniatur ad disputationem, vel saltem ad amicam colloquutionem coram ijs Theologis, ac designatum etiam esse locum ubi id fiat, & viros qui debeant interesse. debere igitur me ad illam me præparare. Tum ego gratias agere Deo, quòd tandem aliquando nos exaudierit: & tum mihi gaudere, tum Scholæ & Ecclesiæ gratulari, quòd illis grauitè vulneratis, bonam tandem Dominus faciat Medicinam. Si enim disputatio instituatur, veritatem vicisse. Magno igitur desiderio disputationem expecto, & me ad illam diligentius præparo.

Ceterum cum iam multi præterissent dies, & nullum interim institueretur colloquium: scribo Epistolam ad duos ex compositoribus amicos. Quòd eos non inuisam: id à me fieri bonis de causis. Quòd verò colloquium non instituatur, me mirari, & quid in causa sit, ignorare. Cum verò audirem, nullum omnino futurum colloquium, sed iudicatuos arbitros tantum ex Actis & vtriusque partis scriptionibus: dedi ad illos omnes Epistolam, cuius hæc fuit summa: *Scripta aduersariorum duplicis esse generis: alia quæ meas coniunctas habeant responsiones: alia ad quæ nunquam respondi, idque propterea quòd partim sint Germanica: partim quòd nunquam fuerint ita mihi communicata, ut ad illa responderè licuerit: & quæ illa sint, ostendo. Ex prioris generis, iudicium ut concipiant, mihi placere, imò & ut faciant, rogare: ex posterioris non posse fieri: ipsos quoque (quæ sua est prudentia) videre. Statum verò principalis causæ facilem esse ad cognoscendum & iudicandum, qui hic est: utrum doctrina quam aduersarius accusauit nouitatis & hæreseos, & quam ego profiteor me in Schola tradidisse, sit noua ac portentosa & hæretica, & proinde an ego fuerim turbator Scholæ necne.* Scripsit ad eosdem etiam Sturmius Epistolam valde grauem & prudentem: qua suam explicat sententiam, quomodo possit firma ac diuturna constitui concordia, ita ut & salua maneat bona doctrina, & integra omnibus sua cuique seruetur existimatio. Non possum illius summam paucis completi, totam autem hic inferere non expedit, & res nimis esset prolixa. Qualia etiam dogmata ex aduersariorum scriptis collecta idem ad eosdem retulerit, & quid responsum tandem fuerit: non refero, ut multorum parcam existimationi.

At verò arbitri perlectis Actis, incipiunt cum vtraque parte seorsum agere. Quid egerint cum aduersarijs, me latet. Mecum verò quatuor illi Theologi conferunt primo quidem die de Prædestinatione & de Perseuerantia. In quorum utroque articulo cum vidissent sibi à me non tantum scriptis, quæ antè legerant, sed etiam voce fuisse satisfactum: dixerunt inter aduersarios & me hos duos articulos facile conciliari posse: quòd ipsi quoque non improbent Augustinum, Lutherum, Bucerum in hac doctrina. Altera die meam voluerunt coram audire sententiam de Cæna. Non contenti enim meâ Confessione, in qua satis fuscè atque perspicuè meam de ea explicaueram fidem, quatenus ea S. literis niti potest: interrogarunt etiam de præsentia. quibus in hunc modum respondi: *De præsentia corporis Christi in Cæna, me non libenter disputare, idq; propterea quòd nullum de ea verbum in sanctis literis legam. Audire quidem me, cum Cæna sit, hæc Christi verba: (Accipite, comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur.) Item Paulum hæc verba Christi interpretantem ac dicentem, panem quem frangimus, esse *σῶμα* corporis Christi: sed nullibi legere, aut illum dixisse, Hic est corpus meum, aut ipsum docere, Corpus Christi in eo esse loco ubi frangitur panis. Interim tamen si aliquid sit dicendum de præsentia, me ita sentire, corpus Christi*

esse præsens, non corpori, sed Spiritui meo, quod nullis sensibus corporis mei illud percipiam, mente autem maxime, quod illud anima & menti mea se verè communicet, atque ab hac verè percipiatur. Nam & oculis mentis à me videri, & manu Spiritus contrèctari, & ore anima atque fidei edi, mihiq; incorporari, & illius effecta in me sentire. Præsens igitur esse anima atque menti, me non posse inficiari: at verò præsens esse corpori, admittere me non posse, totumq; hoc simili satis accommodato planum atque perspicuum feci. quibus auditis, Profectò, inquit illorum vnus, vos idem sentitis quod & nos. Quid sentiam, respondi ego, audiuistis, si autem eadem est vestra etiam sententia: gratulor Ecclesie. De dicto, Corpus Christi manducari ore corporis, ita conuenit: Non posse id propriè dici, cum corpus Christi non tangat corpus aut os nostrum in Cæna, sed tantum propter Sacramentalem vnionem vsurpari. De impiorum, vt vocant, Manducatione, non potuit conuenire. De hoc verò, an Augustana Confessio in articulo de Cæna sit admittenda: sicut cum nemine vnquam disceptauimus, sic neque tunc cum ipsis Compositoribus contendi. de interpretatione tantum semper fuit disceptatio. Cum igitur vidissent me libenter & antea semper consensisse, & tunc etiam consentire in Augustanam Confessionem, sed orthodoxè intellectam: iudicarunt, facilè posse fieri inter nos conciliationem. Ita discessum fuit valde amicè. Ego verò tum ex hac actione, tum ex illis quæ non semel ex duobus Compositoribus audieramus, Sturmii, ego & alij nostrum non pauci, putabam rem optimo esse loco. id quod mox ad Holbrachum Ecclesie Gallicanæ Pastorem retuli, idque vt particeps fieret meæ lætitiæ, & gratias simul Domino ageremus.

Ecce verò dum in hac bona spe viuimus, futurum videlicet, vt & nos & doctrina liberemur crimine hæreseos: quiddam præter omnem expectationem contingit, Joanni Sturmio primùm, deinde mihi, articuli quidam de Prædestinatione, ab ipsis Compositoribus concordie gratia concepti atq; conscripti exhibentur legendi: & significatur, si in hos consentiamus, compositum esse dissidium. Debere igitur nos statim & simpliciter, probentur ne an improbentur, & an velimus subscribere necne, respondere. Neque enim expectandam nobis esse cum aduersarijs disceptationem, quod non expediat: neque definitiuam ab arbitris sententiam, quod non venerint ipsi iudicatum causam, sed tantum amicè controuersiam compositum: neque etiam nobis licere in oblatos articulos diu multumq; commentari, quod Compositores non possint diutiùs Argentinæ commorari, sed domum redire quamprimùm cogantur. Ego posteaquam vix tandem aliquando impetrassem, vt illos articulos domi mecum diligenter expenderem: & posteaquam etiam formam docendi de Cæna, seorsum paulò post exhibitam percurrissem: in hanc sententiam respondi tam arbitris quàm collegis: Articulos & scriptum de Cæna, mihi quidem, quod ad doctrinam attinet, non improbari, propterea quod neque ipsi neq; forma docendi de Cæna, si æquum habeant interpretem, impium aliquid continere videntur: vt ijs tamen simpliciter subscribam, & huic docendi formæ me adstringam, nullo me adduci posse modo, propter multas easque grauissimas causas: quod articuli non sint de rebus controuersis, ac proinde nihil faciant ad compositionem controuersorum: quod licet non sint per se impij, quidam tamen malè sonent, ac proinde indigeant explicatione: quod metuam multorum piorum hominum, quorum maxime habenda est ratio, offensionem, itaque hanc ob causam non posse me sine exceptionibus subscribere: quod item fuerim ad plebem ab aduersarijs tractus, quasi quædam ijs articulis contraria docuerim, vereri igitur, ne mea ceu hominis qui sententiam mutarit, subscriptione, priores confirmetur calumniæ: quod metuam etiam iniquos aduersariorum triumphos, quasi Zanchius retractarit doctrinam tamdiu à se defensam: quod denique si subscribam citra vllam exceptionem, mihi ipse laqueum iniiciam, quo aduersarius pro sua libidine col-

lum

lum mihi premere possit: Esse enim mihi iam satis perspectum hominis ingenium. Me igitur petere & rogare, vel ut ne istis articulis subscribere cogar, vel ut si omnino subscribendum sit, cum exceptionibus subscribere liceat: præsertim verò ut liceat tam articulos de Prædestinatione, quàm doctrinam de Cœna interpretari iuxta explicationes Bucerii & Confessiones nostræ ciuitatis: & harum exceptionum fiat in subscriptione aliqua mentio. Fuit mihi ad hæc responsum, hosce articulos non proponi, nisi ut finis aliquis controuersię imponatur, controuersos non esse iudicatos nec iudicari, neque ab ipsis Compositoribus iudicatum iri: hanc tantum esse formulam quam deinceps sequamur in docendo, quo pax seruetur in Schola: non debere me amplius ab aduersario mihi metuere: illum posthac non ausurum aliquid contra me: fuisse hoc dissidium potius ex animorum exacerbatione, quàm ex magnadiuersitate doctrinæ profectum: reconciliatis animis, fore mihi liberum docere ita liberè, ut etiam antè licuerat: nullam verò piorum offensionem esse metuendam: aut verendum ne ab aduersarijs spargatur me retractasse sententiam. Mihi enim primùm licere voce protestari: deinde ipsos quoque arbitros & Consilium duros mihi semper cùm opus fuerit, testimonium constantiæ in recta sententia: licere etiam tam Articulos quàm Confessionem Augustanam iuxta explicationes Bucerii & Confessiones Ciuitatis interpretari: Ceterum ut horum mentio fiat in subscriptione, non posse certis de causis concedi: satis mihi esse debere, quòd mearum exceptionum testimonium mihi daturi sint, & Compositores ipsi cùm opus fuerit, & nostrum Consilium cùm voluero. Nihil igitur esse cur debeam grauari post factam coram omnibus protestationem, simpliciter pacis & concordie gratia subscribere: Esse verò non paucas neque leues causas cur illud debeam sine vlladeinceps cunctatione, citraque vllum metum præstare: nos enim habere quod desiderauimus: quòd scilicet aduersarij concedant nobis doctrinam de Prædestinatione & de Perseuerantia, Augustini, Bucerii: de Cœna, explicationes Bucerii & Confessiones vrbis. facturos nos Senatui & Principibus rem cum primis gratam, Scholæ vtilem atque Ecclesiæ: magno æstimandam esse hanc pacem. Cogitandum etiam, si non subscribam: mihi omnino esse discedendum, & ipsam Ecclesiam Gallicam euertendam. Hæc ad me allata sunt partim ab arbitris, partim à collegis, atque amicis. Ac quò magis permouerer: Ioannes Sturmius Præpositus Collegij & Rector Scholæ, qui causam in primis constantissimè atque fortissimè mecum à principio ad finem vsque defenderat: Epistolam scribit ad Compositores, nomine Consilij, in qua hoc etiam inerat, antequam articulis Concordiæ subscribat, velle ut sibi liceat interpretari iuxta declarationes, retractationes, hoc est, clariores explicationes, & libros Bucerii aliorumque nostrorum Præceptorum, ab anno xxxvii. vsque ad annum xlix. editos, cum ea protestatione & testificatione, ut nihil imminutum esse velit hac exceptione temporis, doctrinæ & auctoritati eorundem Præceptorum: quam doctrinam & ante annos xxxvi. tradiderunt, & post abitum Bucerii retinuerunt & defenderunt: & hoc quod attinet ad doctrinam de Cœna Domini: idem etiam de Prædestinatione absque vlla exceptione se postulare. Hanc igitur Epistolam ad illos misit per Conradum Hubertum. Hoc verò retulit postea etiam in Consilio: cùm scriptum hoc accepissent arbitri, duos illorum, nempe Iacobum Andreæ & Simonem Sulcerum ad se venisse, & suo aliorumque Compositorum nomine ita respondisse, se libenter nobis concedere interpretationem Articulorum secundum doctrinam Ecclesiæ Argentinensis & nostrorum Præceptorum, quæ apparet in declaratione, retractationibus, Confessionibus & libris, cum illa etiam testificatione, quòd neque ipsi velint quidquam derogatum esse hac formula, Confessionis fidei & religioni nostri Magistratus & nostrorum Maiorum, idque non solum sibi

respondisse semel & iterum, sed etiam idem confirmasse presente Hieronymo Zanchio, & Theobaldo Theodorico Quæstore Thomano. eisdem etiam permisisse ut hæc in Acta referrentur. illud prætereà promississe, quoties opus nobis fuerit testimonio suo, testes se nobis fore harum rerum omnium. & quod de Cæna Domini concefferunt, idem etiam de Prædestinatione absque vlla exceptione concedi. Hæc omnia Sturmius in ipso Consilio dixit, & ut in Acta referrentur iussit xvii. Martij M. D. Lxiii. Mox Collegæ, sicut antea plerique illorum propriè, sic tunc vniuersi & singuli publicè & enixè me rogare, ut velim secum articulis concordia, pacis gratia, simpliciter subscribere. Tunc ego in hæc verba respondi, *Protestor, me non detrectare ipsis articulis subscribere: quatenus ad doctrinam ipsam attinet, si habeant æquum interpretem: sed me recusare subscribere simpliciter sine illa exceptione quam indicaui: nempe ne quidpiam mea subscriptione derogetur meis lectionibus, confessionibus, & testimonijs quæ ab Academicis attuli, idq. non propter meam gloriolam, sed propter conscientiam.* Hæc ego in Consilio. Tum præpositus Ioannes Sturmius, auditis omnium sententijs: iterum me rogat velim subscribere: etiam si non possit impetrari ab arbitris, ut aliqua meæ exceptionis mentio fiat in subscriptione, pro hoc tempore velim esse contentus promissione Consilij: sedaturum mihi testimonium, cum voluero, exceptionis meæ. In hunc modum egerunt mecum optimi amici & charissimi Collegæ: quod persuaserant, nihil nostra subscriptione derogari sanæ & à nobis defensæ doctrinæ, & secum, iuxta proverbum, Cum bonis bene agier, ab omnibus bene agi. Hoc apud me omnem extra se controuersiam, Sturmium, ut de hoc vno speciatim id quod est, dicam, fuisse persuasum, nihil hac nostra subscriptione detrahi de nostra causa, deque sanæ doctrinæ, & nihil falsorum dogmatum concedi aduersarijs: imò tacitè nobis, ut orthodoxa, confirmari quæ antea damnabantur hæreseos: talem verò futuram inter nos pacem atque concordiam, ut nihil contra nos deinceps moturi essent turbarum aduersarij in ijs controuersis quæstionibus: alioquin hominem non fuisse subscripturum, neque alijs, ut subscriberent, autorem futurum persuasissimum habeo. expetebat ille quidem pacem: quis hoc improbet? sed scio hoc cum primis summa curæ illi fuisse, ut sana vetusque doctrina in Schola retineretur. cuius rei fidem mihi facit, & facere omnibus debet, patrocinium quod ille suscepit, & sortiter ad finem usque sustinuit veritatis. verum sperabat nostra subscriptione se vnà cum pace, illud etiam suum desiderium, atque votum omnino consecuturum. hinc illæ ad subscribendum exhortationes, persuasiones, obsecrationes. Ego verò etsi in ipsis articulis nihil per se impium agnoscebam: quia tamen in diuersa à Sturmij eram sententia, & multa mala videbar ex nostra simplici subscriptione exoritura videre: Idcirco non poteram adduci ut simpliciter subscriberem. cupiebam quidem & ipse pacem, & amicis, quod rogabant, denegare mihi permolestum erat & graue: sed contra etiam conscientia stimulos hominibus morem gerere, sicut impium est, sic etiam prorsus erat intolerabile. Discessimus igitur omnes ex Consilio tristes: illi quod non poterint à me quod petierant, impetrare: ego verò, quod non potuerim illis ut desiderabant, salua conscientia gratificari. Venerant eodem die in Senatum ciuitatis Compositores, & suum de vtriusque partis perlectis scriptis auditisque sermonibus iudicium retulerunt: ac quod ad meas attinet scriptiones, se nullam in eis hæresim deprehendisse. Tunc nobilis vir Præfectus vrbis atque primarius Scholarcha, honorificæ memoriæ, Petrus Sturmius ad reliquos Senatores conuersus, præter alia, *ubi nunc*, inquit, *tot hæreses quæ Zanchio obijciebantur?*

Die insequenti, quæ fuit xviii Martij, qua die instituta fuerat articulorum subscriptio, iterum me aggrediuntur amici, partim ante, partim etiam post prandium, cum iam hora instaret subscribendi, & precibus atque rationibus multis mecum agunt, vnà cum reliquis, propositis articulis sine vlla tergiversatione subscri-

subscribam, ac præter alios vnus, Cum tu, inquit Zanchi, probes Augustanam Confessionem orthodoxè intellectam, eiq; & tu & Martyr de principio subscripseritis; cum articulos Concordiæ inter Lutherum & Bucerum, si rectè explicentur, non damnes: cum hosce etiam oblatos à Compositoribus non improbes, ac sæpius fassus sis, nihil in eis impium, si æquum habeant interpretem, contineri; cum admissa sit nostra totius Consilij protestatio, nobisq; concedatur, vt & Augustanam Confessionem & articulos istos interpretemur iuxta explicationes & scripta Buceri, aliorumque maiorum nostrorum, & iuxta Confessiones Apologiamque Ciuitatis: cum ipsi etiam aduersarij iam admittant doctrinam Augustini, Lutheri, Buceri, de Prædestinatione, & de Perseuerantia: cum ista nostra subscriptione nullum fiat præiudicium causæ nostræ, vt ipsi quoque fatentur arbitri: cum tibi etiam liceat publicè, antequam subscribas, excipere, & huius tuæ exceptionis, licet mentionem fieri nolint in subscriptione: testimonium tamen daturi nos simus cum volueris: Quid tandem causæ est, cur tamdiu detrectes propositis articulis citra mentionem tuarum exceptionum subscribere? Itane concordiam ac pacem Scholæ atque Ecclesiæ contemnis? Non detrecto, respondi ego, subscribere, quod non amem atque percipiam pacem & concordiam inter nos bonam iniri atque firmari, tu nosti quàm huius sim percupidus: sed duo sunt, quemadmodum antè etiam non semel ex me audiui, quæ me ab hac simplici subscriptione propellunt, offensio piorum, & confirmatio errantium in suo errore. Nam audita aut etiam lecta mea cum aduersarijs in hanc docendi formulam citra vllam exceptionem consensione: vereor ne & illi existiment me à priori sententia eaque verè Christiana recessisse: & isti mea abutantur ad suos confirmandos errores subscriptione. At faciliè, inquit ille, ijs potest occurrì incommodis, nimirum testimonio Consilij, & tua explicatione, quorum exempla poterunt multa quocunque volueris, transmitti. Si verò non subscribas, multò grauiora sequentur incommoda, & ea tu accipies vulnera, quibus haud faciliè bona poterit fieri medicina. Tibi enim omnino deferenda erit tua statio: quam ob causam verò, & quo tempore, & quibus, ac proinde qua conscientia, tu ipse perpende. itane prodis hanc Scholam? Iis atque alijs efficacissimis rationibus victus, constui tandem subscribere, pacis & concordie gratia: sed præmissis prius exceptionibus: deinde verò illa conditione, vt si quem de me sinistrum fortè sermonem spargi audirem, primo quoque tempore rationem meæ subscriptionis explicare, eamque explicationem primò offerre Magistratui, deinde si probaretur, in vulgus mittere: sin minùs, testimonium saltem mearum exceptionum à Consilio, vti promiserat se daturum, postulare, acceptumque in diuersas regiones atque vrbes transmittere, & vt per amicos vbique spargeretur, curare mihi liceret: quò omnes intelligerent, me pacis quidem gratia oblatos articulos admisisse, sed ita tamen vt à recta priori sententia tam de Cœna quàm de Prædestinatione & Perseuerantia minimè deflexerim.

Cum itaque ad subscriptionem ventum esset, prælectaque omnibus fuisset illa doctrinæ formula cui erat subscribendum: interrogatus à Compositoribus, vellè me & ego huic formulæ subscribere: respondi: quoniam in ea, si æquum habeat interpretem, nihil per se impium aut pugnans cum sacris literis agnosco, iccirco pacis & concordie gratia me subscripturum: sed certis de causis me prius hæc protestari. Principiò, me nolle hac mea subscriptione vllum fiat præiudiciū alijs Ecclesijs & Academijs quæ mihi dederunt testimonia: deinde ne aliquid derogetur doctrinæ quam hætenus docui Argentinæ, quæque in meis lectionibus,

Con-

Confessionibus, Disputationibus continetur: postremò vt liceat mihi hanc doctrinæ formulam interpretari iuxta regulam verbi Dei, & doctrinam Augustini, Lutheri, Bucer. Verbum *Protestari*, admirati sunt nonnihil Compositores: at vbi illud explicui, & me non vt Iurisperitum, sed vt Theologum locutum esse, & Protestari pro excipere vsurpasse: desierunt mirari. Ceterum exceptiones ipsas sicut non responderunt se admittere: ita neque dixerunt se reijcere. Tantum ad tertiam exceptionem hoc responderunt: si velint permittere, vt suo quisque iudicio interpretetur articulos & Confessionem, nullam futuram inter nos concordiam. Ad hoc, me nolle, respondi, vt mihi liceat iuxta meum iudicium, sed iuxta regulam verbi Dei, Doctrinam Augustini, Lutheri, Bucer, illa interpretari. Hic tacitum est. Ego verò iuxta illam legem, *Qui tacet affirmat*, illorum silentium pro asseueratione accepi, & omnino accipiendum iudicaui. Itaque bona conscientia accessi atque subscripsi: neque id simpliciter, sed quatenus ego formam illam, piam esse iudicabam: idque feci in primis propter aduersarios: nimirum ne simplex subscriptio posset aliquando mihi apud illos esse fraudi: & vi mea nudæ subscriptionis cogerent illi me aliquando ad suas interpretationes, pro ipsa Augustana Confessione & articulis concordia, recipiendas, sicut etiam antea conati fuerant. Vt igitur hac in re mihi cauerem, in hæc verba subscripsi: *Hanc doctrinæ formulam, vt piam agnosco, ita etiam recipio*. Quis in hac mea subscriptione non videat expressam conditionem? nempe eatenus me illam doctrinæ formam recepisse, quatenus etiam piam esse illam, non mei aduersarij, sed ego ipse agnouit atque agnosco. Deinde etiam si non fuisset expressa: omnino tamen esset & necessario subintelligenda. Impius enim est, qui aliquid vt pium recipit, quod tamen pium esse non nouit. piam autem semper noui & agnosco Augustanam Confessionem, etiam in articulo de Cœna, cum ait Præsens esse corpus Christi, modò explicetur quibus & quomodo sit præsens, animis nimirum nostris (hoc est, fidelium) fide actuali illustratis, & ex hoc mundo subductis, id quod fit sine vlla locali corporis vel Christi vel nostri mutatione. Certè præsens fuit Stephano, cum accepta noua, hoc est, cælesti oculorum acie, dixit, *Eccce video celos apertos, & Iesum stantem à dextra virtutis Dei*. Corpus tamen Christi supra cælos fuisse, ibique, non infra, à Stephano conspectum: ipsius Stephani verba luculenter demonstrant. Aduersarij autem mei ita intelligunt: Corpus Christi præsens esse non tantum nostris, sed etiam infidelium corporibus in Cœna, vt nostri corporis manibus contrectetur, & ore tangatur ac comedatur. Ergo ne quis piam putaret, me Augustanæ Confessioni & illi doctrinæ formulæ iuxta horum hominum Papalem intelligentiam subscripsisse; de industria non simpliciter, sed conditionaliter subscripsi in eam quam supra retuli formam. Atque hæc subscriptio facta fuit, vt antè dictum est, die XIX. Martij Anni M. D. LXIII.

Die insequenti conuenimus ijsdem in ædibus Compositorum, omnes, vt quando iam consensum fuerat ab omnibus in eandem doctrinæ formulam, omnium etiam offensus fieret condonatio, & animorum conciliatio. In condonandis iniurijs, illisque multis & maximis (quas quia condonatae sunt, commemorare nolo) haud me præbui difficilem, imò palàm protestatus sum, me iam inde ab initio illas condonasse, id quod inde omnibus luculenter constabat, quòd cum potuerim cum aduersario, magno eius periculo, ante Magistratum, illarum agere iniuriarum, nolui tamen, sed vt Christianum decebat hominem, propter Christum omnes deuorauit. Ceterum cum à me peteretur, vt dexteram darem aduersarijs, ibi nonnihil hæsi, idque nulla alia de causa, nisi quòd sciebam ex S. literis, non esse dandas societatis atque amicitia dexteras, nisi vbi apparet consensus in sana doctrina. damnata autem ab aduersarijs fuerat hæreseos, certa & sana Christi doctrina. Ego igitur compositoribus dicere, me non posse bona conscientia manum dare aduersarijs, nisi prius

prius in articulis etiam controuersis appareat consensio. Tum illorum vnus ex hypocauſto egreſſus ſeorſum ad me, Duabus tantum de cauſis, inquit, à vobis petitur vt detis mutuò dexterās, nimirum vt hoc ſigno teſtemini, vos ex animo tum in articulos à nobis propoſitos conſenſiſſe, tum offeſas inuicem condonaſſe. Quod verò attinet ad articulos controuerſos, illi non ſunt iudicati, ſed in ſuo adhuc manent ſtatu. Tum ego, Si ita res habet, minimè grauabor data etiam manu, hæc duo confirmare. id quod mox factum à me fuit. Atque in hunc modum ſe habuit noſtra compoſitio

Eam verò compoſitionem quæ ſint conſecuta, nunc operæpretium, neceſſariumque eſt explicare, ea nimirum, quæ ego longè antè vt conſequerentur metueram. Mox enim pij plerique omnes, præſertim qui meas Conſilijque exceptiones ignorabant, offendi: aduerſarij autem exultare vt victores, ac triumphare, & laureatas ſpargere literas: ipſi etiam articuli ſubſcripti, ſed citra illam noſtrarum exceptionum mentionem, in diuerſas Germaniæ partes diſſeminari: varij rumores ſpargi & voclæ, quaſi ſuccubuerimus, quaſi in aduerſariorum caſtra transferimus, quaſi priorem mutauerimus ſententiam. In balneis etiam Heluetiorum, quas vulgò Badenas vocant, & ad quas me contuleram tum animi, tum valetudinis gratia: diuerſis ex locis ab amicis accipio literas, multò verò plures cum redirem ex finibus Italiæ: quibus literis, turpis accuſabar inconstantia. Domum quoque reuerſus, complures reperio eiſdem argumenti Epiſtolas, ac præſertim vnā è Saxonia à magno viro ad me ſcriptam: qua monebar, aduerſarios meos laureatis literis, & victoria ſuæ fama totam ferè Saxoniam, imò Germaniam repleuiſſe. Eam Epiſtolam oſtendi amicis aliquot: quorum nonnulli conſulebant vt exhiberem Magiſtratui, quò videret placida, quietaque meorum aduerſariorum ingenia. Sed ego ne me autore, facta pax turbaretur, illud facere reuſaui: & malui ſupplicationem componere, quam cogitabam Senatui exhibere, & in ea nouis iſtis calumnijs me purgare, meam ſubſcriptionem explicare, & in quem ſenſum, quoue animo, quibusue exceptionibus in articulos compoſitionis conſenſerim, declarare: ac demum petere vt mihiliceret modeſtis ſcriptis meam defendere exiſtimationem atque doctrinam: malui, inquam, ſupplicationem componere, in qua me ſimpliciter purgarem, quàm vllum accuſare, & hac ratione pacem interturbare. Ceterum poſteaquam re diligentius perpenſa animaduertiſſem, fieri poſſe vt hac etiam ratione, firmata iam pax rumperetur, perfectam iam & abſolutam ſupplicationem retinui apud me: & mutata priore ſententia, decreui has etiam nouas maleuolorum calumnias, & inanes glorioſorum hominum voclās, falſasque otioſorum ſcriptationes potiùs contemnere, quàm me intempeſtiue defendendo vllam violandæ iterum pacis cuipiam dare occaſionem: ſperans fore vt poſt falſos rumores, ipſa etiam veritas bona aliqua ratione tandem patefieret, & pijs hominibus omnis tolleretur offeſio. Hanc meam Supplicationem, propter articulorum quam continet, explicationem, iudicaui haud facturum me rem viris bonis ingratam, ſi cum reliquis hiſce Miſcellaneis imprimendam inuulgandamque curarem. Hanc igitur adieci huic libro. Vrgebatur per id temporis ipſe etiam Gulielmus Holbra-
chus Eccleſiæ Gallicanæ Paſtor, vt articulis ſubſcriberet. Conſuluerat autem ille antea per literas Ioannem Caluinum, quid ea in re ſibi eſſet faciendum. Caluinus verò in hæc verba ad eum reſpondit: *Quod ſententiæ quæ malo & captioſo artificio ad obſcurandam veritatis lucem compoſita eſt, hætenus ſubſcribere non auſus es: Cordatè feciſti. præciſè tamen vt reuſes, non conſulo. De Prædeſtinatione nihil palam impium protulerunt arbitri: tantum vt illiberali aſſentatione placarent Marbachium: tenebras claræ luci obduxerunt. De Cœna verò ita pronuntiarunt, vt docendi libertas tibi ſit erepta: niſi velis quotidianis calumnijs te ſpontè obſcure. Nunc ergo exceptiones interponere neceſſe erit,*

qua

quæ te molestia liberent. si admisse fuerint, quoad fieri poterit dandam operam censeo, ut tua moderatione Ecclesiam tuam conserues, cuius dissipationem moluntur: idque ut facere contendas, etiam atque etiam rogo. Hanc Caluini, honorificæ memoriæ, hominis (ut tota nouit Europa) non solum præstanti pietate & maxima eruditione, sed etiam singulari in rebus omnibus iudicio clarissimi, Epistolam cum legissem, vidissemque, me & id præstitisse quod ille consulebat Holbracho, & in eum finem præstitisse, propter quem illud dabat Holbracho consilij: lætior factus quod viderem me nihil Christiano homine indignum egisse: firmius in animum induximeum, omnium eorum quæ per ora hominum de nostra subscriptione falsò ferebantur, vanitatem contemnere, illudque *Ἀνέχῃ καὶ ἀπέχῃ*, omnino in ea re obseruare: & dum Deus ipse, id quod breui futurum sperabam, meam patefaceret innocentiam, atque causam, forti animo expectare. Obuersabatur enim mihi perpetuò ante oculos totus ille Psalmus xxxvii. *Ne succenseas propter malos, &c. præsertim illa verba, Deuolue super Iehouam vitam tuam, & spera in eo: & ipse faciet, & educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudiciatua sicut meridiem. Tace Iehoua: & præstolare eum.* Neque certè fefellit me hæc spes, quam in Domino collocaueram. Commodum enim accidit, idque singulari Dei prouidentia, ut die xiv. Iulij Anno M.D.LXIII. in pleno Consilio Thomano nostro, interrogatus de quorundam Confessione fidei: ita ex tempore sententiam meam liberè dixerim, ut omnes intellexerint, me articulis Concordiæ ita subscripsisse, ut tamen neque priore causâ ceciderim, neque à sana veterique & ad extremum vsque haud malè defensa doctrina, vel latum vnguem discesserim. Referam ad verbum totam illam historiam, quemadmodum Ionas Bytnerus Argentinenfis ciuis, Professor Scholæ, collega charissimus, homo pius iuxta & doctus, eam literis commissam Scholarchis & alijs à Senatu ad hanc rem cognoscendam delectis, exhibuit. fuerat enim & ipse inter reliquos à Dominis iussus, quomodo se res habuisset, liberè & fidelitè explicare. In hunc igitur modum scripto respondit: *Doctor Hieronymus Zanchius die xi. Iulij, cum interrogatus fuisset à Doctore Marbachio Decano (ut moris est) de Confessione duorum, quorum unus creandus erat Canonicus, alter Vicarius: coram Dominis Scholarchis, toto Capitulo, & omnibus ferè professoribus, Pastoribus etiam & Diaconis permultis: in hæc propè verba ex tempore respondit: Quia interrogor sententiam meam: credo mihi licere eam dicere liberè & secundum meam conscientiam. nam in hunc finem interrogantur singulorum sententie. Eo libentius verò hoc faciam, quòd nolo ut meum silentium possit alicui esse fraudi, & mihi coram Deo ad condemnationem. Nihil autem habeo quod opponam, sed tantum quedam quibus explicem quomodo possim quedam capita Confessionis istorum duorum probare. Dicam autem sine ullius præiudicio aut condemnatione. Rogo ut candidis & amicis animis omnia accipiat. Quod attinet ad nostram consensionem: in huiusmodi articulos & formulas doctrinæ, semper cum conditione vel expressa vel tacita est consentiendum, nempe quatenus consentanea sunt S. literis. Ita etiam ego serio pacis & concordie studio adductus in illam formulam consensi cum conditione, quatenus scilicet ego agnosco eam doctrinam esse piam, me illam admittere: & hanc etiam ob causam præmisi meas exceptiones, quæ fuerunt hæc. Prima, Me nolle ut mea illa subscriptione ullum præiudicium fiat alijs Ecclesijs, à quibus mea doctrina acceperam testimonia: & ipsi veritati. Altera, ut nihil derogetur doctrinæ quam docui hic per octennium, & Confessioni quam exhibui. Postrema, ut mihi liceat totam illam formulam interpretari iuxta regulam verbi Dei, doctrinam Augustini, Lutheri & Bucer. Et hanc meam subscriptionem cum illis exceptionibus factam, confirmo & ratam esse volo. Si itaque & ipsi interrogati admittant eam compositionem, quatenus secundum suam conscientiam & intelligentiam, agnoscunt eam esse piam (ut credo eos fecisse) & consentaneam sanctis literis: probò & iudico illos esse dignos qui admittantur. Quòd verò speciatim attinet ad diuisionem peccati in Veniale & Mortale: ego illam distinctionem non improbo. Sed quia peccatum potest dici Mortale, aut*

quia

quia suapte natura dignum est morte: aut quia imputatur reipsa ad mortem & condemnationem: ideo quod attinet ipsos Impios, probo eorum responsionem: omnia videlicet peccata in illis esse mortalia, quia omnia non solum digna sunt morte, sed etiam ad mortem aeternam imputantur. Quantum autem attinet ad Renatos: sentio quidem in illis omnia peccata esse mortalia, hoc est, digna morte in sese (quoniam etiam inter ipsorum renatorum peccata quaedam sunt leuiora, quaedam grauiora, ut sunt illa quae admittuntur ex aliquo consensu) sed quia longe aliter peccant pii quam impii, nempe quod ad modum & animum quo peccant: (impii enim peccant tota voluntate, pii semper ex imbecillitate fidei aut ignorantia) quia inquam electi renati semper peccant ex imbecillitate fidei aut ignorantia, nunquam autem plena voluntate aut destinata malitia, & nunquam reijciunt verbum ex corde, Domino in illis semper semen fidei, quod est Verbum Dei, retinent & conseruante: ideo non possum concedere Sanctos electos penitus amittere fidem, ac proinde neque peccata in illis esse mortalia, hoc est, imputari ad condemnationem; quia etsi peccata per se digna sint morte, quia tamen persona grata sunt Deo propter fidem qua adhuc sunt praedita in Christum, licet imbecillam: peccata fiunt illis venialia, sicut etiam explicavi in mea Confessione. Si itaque ipsi etiam interrogati intelligunt suam responsionem ad hanc quaestionem, in hunc sensum, hoc est, quatenus conformis est Verbo Dei, probo illorum Confessionem, quantum etiam attinet ad hunc articulum. De Caena etiam duo dixerunt. Primum, Corpus Domini in Caena verè & substantialiter exhiberi. Deinde sumi verè ab omnibus, etiam indignis. Ego non improbo hanc responsionem: si intelligatur (quemadmodum intelligenda est) iuxta regulam Verbi Dei, & quemadmodum ego etiam explicavi coram Dominis Compositoribus, quibus etiam probata fuit mea explicatio: ea autem haec fuit, Corpus Domini in Caena praesens esse verè & substantialiter ipsis fidelium mentibus, non autem corporibus. non corporibus: quia illud eis non communicatur, neque ab ipsis percipitur. Fidelium autem mentibus maximè: quia ipsis verè communicatur, & ab ipsis verè percipitur. Eatenus igitur est praesens, quatenus percipitur & communicatur. aliqua enim res dicitur nobis esse praesens, quando nobis aliquo modo communicatur & percipitur. Exemplum quod coram Dominis Compositoribus attuli: hic etiam coram vobis adferam. Dominus Decanus praesens est, & praesens esse dicitur omnibus nobis, tam illis qui sunt ad portam (licet magis procul ab eis distet, quod ad locale spacium attinet) quam mihi qui sum propius illum. Quamobrem? quia tam illi quam ego, eum vident & loquentem audiunt. Aliud simile adfero. cum sol est supra nostrum hemisphaerium: qui communicat nobis suum verum & substantiale corpus visendum, & per corpus calorem & lucem, & à nobis participatur: dicimus illum esse praesentem & adesse, & quidem verè ac substantialiter. Cum verò progressus est ad aliud hemisphaerium: quia non amplius illum percipimus, dicimus eum esse absentem seu abesse. Ita dico de corpore Christi, illud non esse praesens corporibus nostris, quia eis non communicatur aut ab eis percipitur. nam neque oculis videmus, nec manibus tangimus, nec ullis corporis sensibus percipimus corpus Christi. Praesens autem esse dico mentibus nostris, quia illis communicatur & ab ipsis percipitur. oculis enim mentis videmus, & eiusdem ore comedimus corpus Christi; atque ita comedimus, ut ipsius etiam effecta, hoc est, virtutem redemptionis peracta in illo corpore in animis nostris sentiamus: ita ut haec vis redundet in ipsum etiam nostrum corpus, ad maiorem sui sanctificationem & ad gloriosam resurrectionem. Sic sentio & sic explicavi meam sententiam de reali ac substantiali praesentia corporis Christi in Caena coram Dominis Compositoribus, & ea fuit admissa. Ita hoc argumento ducto à definitione praesentis & à coniugatis simul: confirmo Confessionem Augustanam & Apologiam de reali & substantiali praesentia, hoc modo. Verum & substantiale corpus Christi communicatur fidelium mentibus, & ab illis percipitur: ergo fidelium mentibus verè & substantialiter adest. Et hoc modo etiam Confessionem horum duorum probo. Quod etiam dixerunt illud manducari ab Indignis: non improbo, si nomine indignorum non intelligantur homines prorsus impii, & spiritualiter omnino mor-

tui. non enim est mortuorum comedere, sed viuentium. Si autem nomine Indignorum, intelligantur homines qui præditi quidem sunt vera fide, sed imbecilliori, & qui vita sunt solutioris quàm deceat Christianum hominem: concedo ab illis percipi, sed non tamen ita manducari ad salutem sicut à dignis. Dignos autem intelligo eos, qui viua & actuali fide & vera respicientia accedunt ad Cœnam. Hoc modo Confessionem etiam istorum de manducatione Indignorum probō. Quare dignos iudico qui admittantur. Hic nemo respondit, sed Dominus Decanus perrexit interrogare sententias. Cùm verò ventum fuit ad M. Melchiorem Speccerum: ipse ita respondit. Viri clarissimi & Collegæ obseruandi: video interrogari sententiam meam de tribus: de electione deque creatione horum duorum, alterius in Canonicum, alterius in Vicarium: postremò de Confessione quam ediderunt. Quod priora duo attinet: ego probō iudicium Capituli. Quod verò attinet ad ipsorum Confessionem: quia Zanchius liberè dixit suam sententiam: dicam & ego meam liberè. Ego simpliciter probō hanc Confessionem: quia est conformis Verbo Dei & secundum Augustanam Confessionem. Sed D. Zanchius pro suo ingenio, nunc nouum nobis indicit bellum, contra compositionem factam. renouat enim ea quæ fuerunt composita: & ut video, vult ille omnia sua esse integra. Quorsum igitur opus fuit compositione? Est apertè inter articulos nostræ compositionis etiam articulus, quòd Renati quoque peccant contra conscientiam, & quòd amittant prorsus fidem & Spiritum sanctum: & est ibi particula prorsus. Vos tamen audiuiſtis eum aliter nunc dicentem: nimirum quòd Electi renati non amittant fidem & Spiritum sanctum. Est falsum quod dicit. peccatum enim mortale non potest stare cum fide. Adfert etiam quasdam suas exceptiones, quas dicit se fecisse coram Dominis Compositoribus: nos autem hæc ignoramus. Sic de Cœna explicat suo modo Confessionem Augustanam. Et quod in Examine iterum atque iterum dicitur nostra Confessio: se Melchior ait intelligere Augustanam Principum: & veteres potius quadam incuria & negligentia vocem NOSTRAM addidisse, quàm voluisse aliquid hic singularis Confessionis significari. Sed hic locum non esse plura dicendi & Zanchio respondendi. se cupere tamen aliàs de ijs quæ Zanchius hic dixit, colloqui & differere. Hæc Melchior. Zanchius autem tunc noluit respondere Melchiori, ne impediret continuationem interrogationis Domini Decani. Cùm autem singuli dixissent suam sententiam: Zanchius surrexit, & conuersus ad Dominos Scholarchas, Præpositum & Decanum: petijt vt sibi liceret duo verba facere. Hic fuit iussus tacere, non enim congregatum esse Capitulum vt disputetur. Respondit ille, se non disputandi gratia iam hoc petere: sed quia si taceret prorsus, quæ aduersus se dicta essent videretur confirmare: idè se petijſſe facultatem loquendi. in summa se petere vt sibi liceat cum isto homine disputare, sin minus, se petere cum bona venia missionem. Non fuit responsum. Ita res habet, & agnosco mea ipsissima verba.

Neque verò temerè eo in loco & tempore meam ita liberè, fusè, perspicuè, explicauit tum de illa Confessione sententiam, tum meæ subscriptionis rationem: sed graues causæ me vt id facerem, compulerunt. Principiò Christianus sum. tenebar igitur veritati Christianæ dare testimonium, vbicunque & coram quibuscunque necessitas postulabat. Deinde sum Theologus, & tunc quidem apud Argentinenſes S. literarum Professor. mea igitur conditio requirebat, vt veritatem explicarem coram Dominis & fratribus. Eram etiam Canonicus, vt vocant, illius collegij: cùm autem aliquis fit Canonicus, iureiurando promittit se semper suam dicturum sententiam liberè & ex conscientia: si quid faciat ad gloriam Dei & ad honorem vtilitatemq; Consilij. tenebar igitur iuxta nostrum iusiurandū, meam interrogatus sententiam, liberè & ex conscientia quid de illa confessione sentire, dicere: & quatenus posset admitti aut non admitti, rotundè explicare. Primus etiam post Præpositum, interrogabar sententiam, quia Theologus. oportuit igitur me, vt Theologum, alijs si qui fortè id cuperent, quid de ea doctrina sentiendum esset, quod mei erat officij præmonstrare. Doctrina etiam controuersa, testimonium acceperat à multis Ecclesijs, Academijs, Theologisq; doctissimis, cogebar igitur ita respondere, vt mea respon-

spōnsione omne tolleretur præiudicium: quod mea dissimulatione fieri potuisset tum veritati, tum etiam illis Academijs atque Ecclesijs. Consensio quoque nostra in articulos Concordiæ id vt facerem, flagitabat. Consenseram enim in illos articulos, non iuxta cuiusque hominis interpretationem, sed quatenus consentaneos esse iudicaueram verbo Dei. Oportuit igitur me ita Confessionem illam probare, quatenus cum vera articulorum intelligentia nihil pugnaret. Fueram etiam traductus, quasi mea subscriptione mutassem doctrinam, si simpliciter confessionem illam probassem: tacite etiam confirmassem rumorem illum contra me sparsum. Coactus igitur fui ita respondere, vt palàm omnes intelligerent, me nihil in doctrina per illam articulorum subscriptionem mutasse. His omnibus accedebat, quòd tum ex callida examinandi ratione, tum ex accommodata ad examinantis doctrinam responsione, subodoratus fueram, aduersarium captare triumphì de oppressa veritate agendi occasionem. Coactus igitur fui tam iniusto triumpho maturè occurrere. Olfecerunt idem & alij: ac Calvinus cùm audiuiisset factum, hoc apertè ad me scripsit ijs verbis: *Tempestiue, inquit, accidit, vt te balbus, disertum redderet. necesse enim fuit quod tibi extorsit, ingenuè semel profiteri. Qualiscunque sequetur euentus: non est tamen cur te importuni hominis vel proteruitæ vel versutia obuiam iuisse pœniteat, ne de oppressa veritate triumphum ageret, quod certum est ex silentio tuo captasse.* Hæc ad me Calvinus. Hoc verò iudicium tum Caluini tum meum, illud etiam confirmat: quòd cùm pridie illius diei, quo habendum erat examen, præmonitus fuisset à Sturmio aduersarius, ne in examine interrogaret de articulis controuersis, quòd nihil facturum hoc esset ad pacem, & ille promississet se de illis articulis non interrogaturum: promissum tamen non præstitit. quam obsecro ob causam, nisi quòd (vt antea dictum est) suis callidis interrogationibus venabatur de oppressa veritate triumphum: aut saltem, si illum non posset consequi, prouocandi mei occasionem? Proinde Sturmio ei in faciem post habitum examen, Consiliumque dimissum: *Quid istis tuis interrogationibus, inquit, de ijs rebus, de quibus vt taceretur, constitutum erat: aliud effecisti, quam quòd Eridis pomum in conuiuium Deorum proiecisti?* Liquet igitur, non solum commodum, sed etiam necessarium fuisse, me ita respondere: vt ansam præriperem aduersario & iniuste agendi triumphum, & iustam contra me instituendi actionem. Nam meo, opinor, responso, & veritas defensa fuit: & nihil tamen in factam compositionem à me peccatum fuisse, perspicuum est omnibus rectè iudicantibus: cùm nihil aut in ea damnarim, aut concessum reuocarim, sed tantum quomodo esset intelligenda, declararim. Legantur articuli, legatur meum responsum, & iudicium esto omnium bonorum virorum. Proinde constat, insignem mihi factam fuisse iniuriam in ipso Consilio, ab eo qui dixit, me meo responso nouum sibi & suis indixisse bellum, contra compositionem factam, & renouasse ea quæ fuerant composita. Supra demonstratum est, & testimonio Consilij confirmatum, prius bellum non fuisse à me, sed contra me ab alijs excitatum. Nouum etiam vter indixerit, egò ne qui sine vllius iniuria, meam de Confessione illorum duorum examinerum sententiam modeste dixi, & quid mihi à Compositoribus concessum fuerit, bona fide retuli, quibùsue exceptionibus in propositos articulos consenserim, simpliciter, idque (vt antè visum est) coactus narraui: an verò alter ille, qui me, nulla laceffit iniuria, præter decorum atque honestum, in frequenti Consilio, coram ipsis etiam Scholarchis, accusauit violatæ pacis & perfidiæ: iudicent omnes viri boni & rerum periti. Certè in eo quod ipse asseuerauit, esse inter articulos nostræ compositionis etiam articulum, *Quòd renati quoque peccent contra conscientiam, & quòd amittant fidem & Spiritum sanctum: & quòd ibi sit particula* PRORSVS: turpiter se dedit: cùm apertè conuictus sit falsi. Legantur articuli: & vter verum dicat, quiuis perspiciet. Quòd verò di-

xit, sibi videri, me velle omnia mea esse integra: in eo certè falsus non est. Quid nì enim illud voluerim & adhuc velim: cùm nemo vllius me conuicerit in hanc vñque diem erroris: cùm ipsi etiam compositores apertè dixerint, se nullam in meis scriptis deprehendisse hæresin: cùm tamen de multis accusatus fuisset? Quòd si non omnia quæ ipse & alij contra me scripserant, manserunt integra: non propterea sequitur mea non mansisse integra. Ad historiam verò vt redeam: animaduertent omnes, renouatum esse dissidium. Et alij quidem, vt aduersarij & malè erga me affecti, transferebant culpam in meum responsum. Alij viderunt apertè, renouatum fuisse culpa tum vatri examinatoris, tum iniuriosi illius in me criminantis. Senatus itaque voluit rem cognosci, & si fieri posset, componi.

Dum noua tentatur compositio, venit ab Ecclesia Clauennensi, quæ est in foribus Italiae, sub ditione Rhetorum: nuntius, qui & mihi significet, me ab Ecclesia in Pastorem esse electum, idque in locum demortui Augustini Mainardi: & si assentiar vocationi, supplicet Senatui vt mihi det veniam hanc alteram recipiendi conditionem. Fuerat Mainardus vir admodum pius & doctus, acutus disputator, & vitæ honestissimæ atque inculpatæ: primusque illam collegit instituitque Ecclesiam, & aduersus multos hæreticos, fanaticos & turbatores homines, eam fortiter annos xxi. defendit, conseruauit, gubernauit: scripsit lingua populari pium libellum de satisfactione Christi: & alterum de Missa, cui titulus est Anatomia Missæ. annum verò cùm ageret octuagesimum primum, sub finem Mensis Iulij, anni M. D. Lxiii. concessit ad Dominum.

Senatus cùm audiuiisset nuntium, me accersit, & rem in hanc sententiam per duos Senatores proponit: Venisse Legatum ab Ecclesia Clauennensi, qui narrarit, nuper defunctum esse illius Ecclesiæ Pastorem: in huius verò locum me fuisse electum: rogasse nomine Ecclesiæ me sibi concedat: iudicare enim multis de causis meum ministerium multò magis necessarium esse illi Ecclesiæ, quàm sit nostræ Scholæ opus: facturum Senatui rem admodum gratam nationi Italicæ, si in hac iusta & Christiana petitione ei morem gerat. Senatum itaque ijs à nuntio auditis, grauari quidem suis professoribus Scholam priuari, sed tamen etiam cupere gratificari Italicæ nationi, in re præsertim tam honesta, atque vt orator aiebat, necessaria. cupere igitur de me quæ mea sit voluntas, intelligere. Ad hæc ego in hanc sententiam: Quæ mea sit erga Scholam voluntas, hinc Senatui faciliè & perspicuè posse colligere, quòd non semel & iterum à mea Natione in Pastorem electus, modò illius quæ Geneuæ est Ecclesiæ, modò eius quæ erat Lugduni: ad Scholam etiam & Academias celeberrimas in Germania: honorificis conditionibus, & honestis stipendijs inuitatus, idque non solum ante accensum dissidij ignem, cùm læti tutam tranquillamque pacem traheremus, sed etiam postea cùm optimam haberem occasionem discedendi cum honore, & scriptis meam causam defendendi: nolui tamen vnquam Argentinensem Scholam sponte deserere, tantisper dum nossem meam operam tam Scholæ vtilem, quàm Senatui gratam esse, & dum spes fuit, tranquillam posse me Argentinæ, maximè cum collegis, vitam traducere: atque hac de causa me toto hoc dissidij tempore, multa contra me dicta & facta tolerasse, multa incommoda atque damna pertulisse, in nouos denique articulos consensisse: quòd in spe essem, fore vt post hanc consensionem, ita ad pristinam rediretur amicitiam, pacem ac concordiam, vt nulla deinceps futura esset contentio: & mihi tamen liceret, sicut etiam antea, quibus vocatus fueram conditionibus, vti, frui: & si ego neminem iniuria afficerem, alij etiam abstinerent ab iniurijs: eandem mihi adhuc manere voluntatem. Ceterum vt re ipsa maneam, vereri me vt id fieri possit. Nullam enim iam amplius spem ostendi

ostendi futuram me inter & aduersarios, firmam pacis atque concordiam: posteaquam iterum proteruè, idque in pleno Consilio nostro, cœpta sunt iaci in me probra & noua inferri crimina. Quamobrem autem id factum sit, facile posse fieri iudicium, certè quale fuerit meum in Consilio de illa Confessione responsum, modestumne an immodestum, liquidò constare: interim tamen cum qui me iniuria affecit, innocentem quo iure quauè iniuria haberi velle: ac me contrà, omnium criminum reum. Haud difficile me hinc prospicere, nihil posthac vnquam à me dici aut fieri posse, quod apud istos homines queat carere culpa: ac proinde quomodo ampliùs pacificè cum ipsis possim viuere & docere: me non videre. Vidit & Senatus perspicuè, non minùs quàm ego, fore ἀδύνατον, vt pacificè inter nos viueremus, & consentienter doceremus: quòd licet omnes in certos articulos consensissemus, vtraque tamen pars mordicus suam interpretationem ac doctrinam retineret. Proinde iudicauit fore consultius & mihi & Scholæ, vt si nollem in omnibus & per omnia (vt loquuntur) cum suis consentire, & consentienter docere: ego vnus cederem, & Clauennensem acciperem conditionem. Assensus sum, neque enim poteram salua conscientia cum aduersarijs in illis consentire rebus, & ita consentienter docere, in quibus rebus animaduertebam eos non consentire cum Prophetis atque Apostolis, neque cum pijs Patribus, neque etiam cum doctissimis huiusce ætatis doctoribus, atque in primis cum Bucero. Ergo propter conscientiam & pacem, posteaquam annos vixissem Argentinæ fermè xi. actis Senatui gratijs pro suis in me beneficijs, & resignato in manus Scholarum Canonatu, relicta etiam ibi vxore charissima, & quatuor liberis suauissimis, defunctis hac vita: & valere iussis amicis, neq; id sine dolore, multas ob causas, & maximè quòd viderem quo in statu relinquerem Scholam & Ecclesiam Gallicam, eiecto iam pastore Gulielmo Holbracho, viro optimo atque doctissimo, idque eandem ob causam, propter quam etiam ego discedebam, nimirum quòd noluisset contra conscientiam in omnibus & per omnia cum aduersarijs consentire, & consentienter docere: tandem ad finem Nouembris, anni M. D. LXXIII. discessi Argentinam, vnà cum fido non tam famulo, quàm amico & fratre, Frederico Syllæpurgio Hesso, municipetuo, hoc est, tuæ gentis tuique populi, iuvene bonarum literarum studioso, & sanæ doctrinæ amanti.

Porro Clauennam cum peruenissem, non ita multò post quàm cœpissem concionari, id quod fuit initio Ianuarij, anni M. D. LXXIV. grauis pestilentia inuasit oppidum: ac mense quidem Martio cœpit ita palàm & crudeliter grassari, vt intra menses circiter septem, sustulerit ex paruo isto oppido mille circiter & ducentos homines. Prædixerat hanc calamitatem sæpe numero Mainardus vir Dei, tum propter pertinaciam Papistarum in suis idololatrijs: tum propter ingratitudinem nostrorum erga Euangelium. Sed, vt contigit etiam Prophetis, illius comminationes ab impijs & impœnitentibus contemnebantur. Cum verò cernerent & re ipsa sentirent, impleri vaticinium: tum omnes meminisse verborum viri Dei, & palàm fateri, illum Dei virum, Spiritu diuino afflatum, vera prædixisse. Urgebamus pœnitentiam & fidem, & tam diu fecimus officium, dum & locus fuit vbi conueniremus, & qui audirent non defuerunt. Cum verò alijs peste sublati, alijs propter imminens periculum, deserto oppido, ceu fracta naui, diuersos ad portus elapsi, vidissemus paucos admodum fratres nobiscum in oppido mansisse, atque hos etiam tum propter læuitiam pestis quasi consternatos, tum in curandis ægrotis & oppido custodiendo occupatissimos: hosce paucos post mensem & ampliùs quàm locus vbi solitæ erant haberi conciones, fuisset infectus, quid factò opus esset consului-mus. Illi consultius esse censuerunt, vt nostro discessu, in aliud tempus Ecclesiæ nos seruaremus, quàm vt temerè & sine vllo fructu, in tam aperto vitæ discrimine permaneremus. Iudicauimus igitur, nos bona conscientia posse ad tempus, loco

cedere: suffragantibus nostro iudicio non paucis & Scripturarum & Patrum auctoritatibus atque exemplis. Me igitur cum tota familia contuli in sublimem quandam montem: non admodum quidem procul ab oppido, sed tamen ab hominum consortio, omniq̃ue strepitu remotum, eoq̃ue ad philosophandum accommodatissimum. Hic solitarius vitam traduxi meam in lectione Scripturarum, meditationibus, precibus, scriptionibus, summa cum voluptate spiritus atque animi: optima semper Dei beneficio valetudine, menses tres cum dimidio. Hic etiam cœpi, cum aliquod otij ab ordinarijs studijs suppeditabatur, historiam hanc conscribere: partim vt ne excideret memoria, partim vt si quando ab aduersarijs meis prouocaret ad scribendum: id quod facile futurum prœuidebam: eam in lucem darem. Neque enim mihi animus erat illos prouocare: quemadmodum etiam in priorem controuersiam non ego illos, sed illi me inuitum pertraxerunt. Hoc liquet ex historia: illud fit hinc perspicuum, quod totum hoc biennium & amplius, ex quo discessi Argentina, nihil contra meos scripsi aduersarios: cum tamen non defuerint, qui me ad id sollicitarent atque extimularent. Ceterum dum ab amicis obseruatur diligenter in nundinis, an aliquid contra nostram causam, aut contra me scriptum prodeat in lucem: ecce librum de Cœna, Germanicè à meo primario accusatore compositum. Hunc ad me missum cum ego propter ignorationem linguæ non possem legere, nedum intelligere: do cuidam amico Germanicæ linguæ perito, legendum: ac mihi significet, rogo, & quæ summa sit illius libri, & quibus nitatur argumentis, & an aliquid contra me scribatur. Vix tres horas potuit vir ille bonus & alioquin patientissimus, legere in eo libro: tum propter plus quàm Papalem (vt dicebat) doctrinam ac fastum: tum quod iactaret eam fuisse doctrinam Bucerii: mei tamen nullam se vidisse fieri mentionem. Contemsi igitur librum; præsertim quod non dubitabam non defuturos, qui librum illum (vt dicebat) insullum refutarent. Die verò Septembris XIIII. huiusce anni M.D.LXV. accepi alium librum; Latine & Græcè exaratum: nimirum Valentini Erythræi Lindauiensis, Ethici in Schola Argentinensi professoris, & mei olim Collegæ. Titulus est, Augustana Confessio, tabulis delineata & resoluta. Acceptum librum video, percurro, lego. Tandem inuenio, meum etiam de Cœna iudicium, ab isto censore damnari, & me multis variisque conuitijs proscindi: quemadmodum etiam antea fecerat eius gentilis, alter videlicet Lindauiensis. Mirabar quid fieret, vt hoc hominum genus, qui corpus Christi tam mitis, modesti atq; humani, manibus contrectant, oraliter comedunt, & in stomachum trajciunt, non possint scribere sine maledictis & contumelijs. Nam quæ ille prior Lindauiensis in me dixerit & scripserit probra atque conuitia, non commemoro, quia (vt antea dixi) condonaui. Iste alter duabus paginis quas aduersus me exarauit, plus conuitiorum quàm argumentorum complexus est. principio appellat me ἐριστικόν, fanaticum, furiosum, impudentem & blasphemum, nugatorem ac scurram: hominem malè sanum. deinde quæ scripsi de Cœna in meo iudicio, ait diabolica esse portenta: atque hoc in primis quod dixi, corpus Christi non manducari à nobis propriè ore corporis, horrible esse clamat: Consecutionem meam qua infero, Si corpus Christi propriè ore corporis manducetur, consequi, illud dentibus conteri, in stomachum trajci, & per secessum ire, esse diabolicam: me & meos gregales vafre quibusdam vti verbis ad simplices circumueniendos, nostrorum libros esse blasphemos. Sic noster Ethicus, politis scilicet præditus moribus & singulari modestia atque prudentia. Ego filebam, quiescebam, dormiebam, & multorum existimationi parcebam. Sed ecce hominem qui me vellicat, à somno excitat, & ad certamen prouocat, idq̃ue contumelijs, nullo vnquam ipse à me laceffit verbulo. Hæc verò sine sodalium suorum consensu ab ethico fieri, cum iudicatum fuerit meridie non lucere, tum certò credemus. Ergo si ego etiam

inci-

incipiam contra meos scribere aduersarios, mei & sanæ doctrinæ defendendæ gratia: quis meritò me accuset turbarum, rixarum, contentionum? Apparet iam qui sint turbatores, & dissidiorum autores, atque continuatores: apparet qui nouum pro suo ingenio indicant bellum: apparet deniq; qui sint ἐχθροὶ διανοουμένης. Quid hîc opus est argumentis & testibus, quibus illas depellam calumnias? Iam res ipsa loquitur. Scripseram quidem ego, & importunitate amicorum dederam imprimendum illud meum de Cœna iudicium: sed id feceram ante compositionem, & partim vt vtriusq; partis Ecclesias aduersus Episcopi cuiusdam iudicium defenderem: partim, vt quo pacto posset hoc tam exitiosum incendium tandem aliquando extinguui, meam indicarem sententiam: & scripsi modestè, cum vtriusque partis laude. At verò nunc post compositionem, surgit iste noster Ethicus, & pacificus collega: & vt se infinet in numerum Theologorum, censorem agit omnium Theologorum, qui huc vsque scripserunt de Cœna Domini. nec contentus censura, quam sibi vltro assumit, ipsos etiam quos vult Doctores, quibuscunque lubet conuitijs ac contumelijs lacerat, condemnat, deuouet quæ diris. Ego verò minimè miror hæc ab isto homine, & tanta immodestia scribi. noui enim quæ scribat Salomon in Prouerbijs de stultis, atque stultitia, quæ etiam αὐτοχθων est, & domicilium habere solet, in nimium crassis capitibus. Sed miror sanè vehementer, potuisse ab eo Senatu, qui semper habitus fuit in Germania, & extra Germaniam, ac meritò quidem, prudentissimus, pacis amantissimus, concordie inter discordes studiosissimus, & puræ religionis custos vigilantissimus, permitti, vt contumeliosi isti libri, qui nihil aliud sunt quàm esca incendiorum, imò faces iam accensæ ad omnes Ecclesias nouis dissidiorum & inimicitiarum flammis, concremandas, in ea imprimantur vrbe, quæ tempore Buceri solebat esse ceu mater Ecclesiarum omnium in religione, & mediatrix inter dissidentes ex inferiori, & ex superiori Germania doctores: quæ denique cùm primum alicubi aliquod excitabatur incendium, prima omnium ad illud restinguendum accurrebat. Eò verò magis miror Senatum permisisse vt hæc in me scripta ederentur, & maximè Argentinæ: quòd & sciat quoties petierim, efficeret vt veniretur ad disputationem aut ad amicam colloctionem: & noluerit aduersarios, cùm ad neutram sponte venirent, ad alterutram saltem cogere. An hoc satis æquum est, vt cui præsentī per biennium nunquam concessa disputatio cum aduersarijs fuit: aduersus eum absentem ab iisdem aduersarijs & in eadem vrbe scribatur, idque tam contumeliosè? Cur cùm ibi essem, non fui conuictus errorum, hæresium, blasphemiarum? cur non fuit instituta disputatio? cur non colloquium? aut cur saltem post compositionem & condonatas iniurias, permittitur tam barbarè contra me scribi? Sed non dubito hæc omninò inscio Magistratu scripta tam in alios quàm in me ab Erythræo fuisse. Veruntamen si semel vnum aut alterum incendiarium coërceret Magistratus, nec tam diu sineret illos sua abuti patientia atque clementia: discerent illi & reliqui meliùs sapere, & pacatiorem haberent ciuitatem. Ergo si ad certamen prouocatus, me meamque causam, quacunque possum bona ratione defendam, ne miretur Senatus, neque propterea quispiam me vocet eristicum. non enim eristicus est, qui se suamque causam aduersus iniquos criminatores, modestè defendit. hoc enim speciatim Senatui illo ornatissimo, & omnibus pijs bonisque in ea vrbe viris polliceor, me non conuitijs aut contumelijs, vt mei faciunt aduersarij, sed Scripturis, sed argumentis, sed Patrum tam veterum quàm recentiorum, atq; in primis piæ memoriæ Buceri, patris illius Scholæ atq; Ecclesiæ, testimonijs: denique etiam confessionibus illius vrbs, meam defensuram causam. Scio enim hoc proprium esse cùm rusticorum, tum imperitorum hominum, vt cùm desunt rationes & argumenta, recurrant ad conuitia. Scio & illud Salomonis, nō esse stulto iuxta stultitiam suam, respondendum, Hoc idem norunt Argentinenses obseruatum à

me fuisse in priori mea defensione: quemadmodum Acta quæ apud illos sunt, testificantur: ac norunt quale discrimen sit inter mea & aduersariorum scripta, qui illa legerunt aut legi audierunt. Agnoscent etiam omnes, me non esse neque cristicum (nisi *εχριστός* ille esse definiatur, qui accusatus de grauissimis criminibus conatur se defendere) neque blasphemum hominem: nisi blasphemus ille sit, qui quæ tradunt S. literæ, & quæ saniorum Patrum testimonijs confirmari possunt, defendit: quæ verò neque Scriptura apertè tradit, neque cum illa sunt consentanea, reijcit: & qui denique semper paratus est meliora doceri.

Nunc ut ad id quod principio constitui demonstrare, reuertar: potes, Illustrissime Princeps, quæ tua est singularis prudentia, atque non solum in re militari, sed etiam in religione & politicis negotijs sapientissimum iudicium: ex ijs omnibus quæ narraui, quæ retuli, quæ dixi, facile causas colligere, propter quas Miscellanea hæc non solum cum Argentinæ essem, ante compositionem cudenda, sed etiam nunc recudenda, & totam hanc historiam euulgandam curauerim. Tamen si enim quæ nunc aduersus me scripsit aduersarius Erythræus, ea me non permouerunt tantum, sed etiam coegerunt ut non solum meum defendam de Cæna iudicium, sed etiam totam nostri prioris dissidij, deinde & compositionis, & eorum quæ compositionem secuta sunt, historiam, vñ cum meis hisce Miscellaneis, tandem in lucem emittam: idque quod appareat toti orbi, an talis sim necne, qualem & alij aduersarij antea prædicarunt, & iste denuò, edito etiam libro, apud omnes mortales traduxit: nempe non hæreticum tantum, sed etiam blasphemum: tamen ipsa quoque historia multas alias demonstrat causas, propter quas æquum omnino, imò necessarium erat, ut tandem aliquando tam ipsa, quam suppressus liber in lucem prodiret. Nam doctrina quæ fuerat hæreseos damnata: nunquam fuit iudicata: neque spes vlla est fore, ut in aliqua Synodo legitimè iudicetur. Est igitur necesse (nisi velimus maneat condemnata) ut omnium Ecclesiarum iudicio subiiciatur. Quod liber meus fuerit suppressus, iudicare multi possent, illud propterea fuisse factum, quod aut aliquam sciperet hære sin: aut in aliquem esset contumeliosus. Prodeat igitur in medium necesse est, quod omnes, qualem contineat doctrinam, & an in quempiam sit contumeliosus necne, videant. Accusati fuimus ego & qui à me stabant Argentinæ, quod Augustanam Confessionem oppugnaremus: quod ego contra illam docerem, adeoque quod contrà meum fecerim (ut vocant ipsi) compromissum. oportuit igitur historiam quæ nostras continet Apologias, cognosci. Conscriptus fuit contra me liber plenus infinitis calumnijs: isque non solum Magistratui exhibitus, sed cum multis etiam alijs communicatus: meam autem ad illas responsionem non omnes viderunt, qui illum legerunt. fuit igitur operæ precium ut illarum etiam depulsio appareret. Mirati fuerunt omnes, dissidium nostrum tam diu durasse, & nunquam intra biennium potuisse componi. cur non æquum sit, ut in quibusnam hæserit culpa, agnoscat: De meis quibusdam prælectionibus quid sparsum fuerit in vulgus, antea dictum est, latere videlicet in illis venenum. Ut igitur venenum hoc agnoscat, coactus fui eas in lucem dare. Contenderunt aduersarij, Senatum populumque Argentinensem recessisse à priori doctrina, cum Augustanæ Confessioni vestræ subscripsit, falsum hoc esse, historia docet. cur igitur non eam inuulgem, ut Senatus totaq; illa incluta vrbs hac infamia ei à parum gratis ciuibus inusta, liberetur? De compositione multi sinistri sermones fuerunt in vulgum sparsi, præsertim contra me & Ioannem Sturmium. fuit igitur plus quam necessarium, ut quomodo hæc facta sit, & quas præmiserimus exceptiones, & quibus subscripserimus articulis, toti orbi edita historia declararetur. Quæ mihi falsò fuerint obiecta crimina post compositionem, in pleno Consilio, propter quam causam, & quid inde secutum tandem sit, nimirum meus, præter alia, à mea statione & ab vrbe charissima discessus,

paulò

paulò antè dictum est. Renouationem dissidij & meum discessum intellexerunt omnes; at vtriusque causam non omnes norunt: neque etiam noua illa controuersia fuit vnquam aut legitime cognita, aut iudicata, aut etiam composita. Erat igitur necesse propter dignitatem & auctoritatem mei ministerij, vt quo semodo res habuerit, & cur Argentina discesserim, tandem vulgata ista historia explicaretur. Sunt omnes hæ causæ tanti ponderis, vt etiam si nulla alia accessisset; accusari tamen iure non potuerim, si tantum propter has aut etiam propter ipsarum aliquam, librum hunc meum antea etiam vulgassem. Nunc autem accedit illa postrema omnium grauissima, quam Erythræi liber attulit. Hac enim ita cogor (vt antè dixi) me meamque causam defendere, vt nisi id faciam, proditor sim veritatis, negligens bonæ existimationis, ideoque in perpetuum infamis. Maledictum certè pronuntiat Salomon qui negligit famam suam; quantò magis si illa etiam cedat in infamiam ipsius ministerij & Euangelij & Christi? Spero itaque (opto quidem certè) me satis luculenter, Tibi, Princeps Illustris. & omnibus bonis hac narratione demonstrasse, neque me talem esse qualem aduersarij prædicarunt & voce & scriptis: id quod melius patefiet, lectis hisce Miscellaneis: neque sine iustis & necessarijs causis, curasse vt hic Liber vnà cum historia in lucem emissus, si non in promiscui vulgi, saltem in literatorum virorum manus perueniret.

10.

Nunc autem quibus de causis rudes hæc meas lucubrationes Tibi tam magno Germaniæ Principi ego homo Italus dedicare ausus fuerim, paucis aperiā. Si quibus de religione libri sunt dedicandi: dedicari omnino debent non tam Principibus Illustribus & potentibus, qui suo splendore & potentia, aliquid gratiæ illis concilient: quàm viris optimis: pietate in primis & Christianæ religionis studio, doctrinæque salutis cognitione, deinde iustitia, prudentia, fortitudine, clementia, cæterisque Christianis virtutibus clarissimis: quique tum id genus libros intelligere atque tueri, tum etiam autores librorum defendere non tantum possint, sed etiam velint: qui denique de Christiana religione deque literatis & pijs hominibus sint benemeriti.

Ego verò quæ sit tua pietas, Princeps Illustrissime, quod studium religionis, quæ peritia rerum Christianarum, quæ constantia atque fortitudo in defendenda doctrina salutis, protegendisque doctrinæ Christianæ Professoribus: non nunc primum disco, sed iam olim in Italia adolescens adhuc, ex certis hominum sermonibus intellexi: quos sermones verissimos etiam fuisse, ex constanti deinceps omnium fama, & ex certissima Ioannis Sleidani incomparabilis viri historia deprehendi. Est enim certissimum: Te à prima adolescentia, nec periculis, nec laboribus, nec sumptibus vllis, pro instauranda religione, pepercisse: Te Martinum Lutherum sanctissimæ memoriæ, & alios fideles Ecclesiæ ministros, fortiter semper defendisse: Te facinora Thomæ Monetarij, cuius seditiosis concionibus per totam ferè Germaniam plebs erat ad arma concitata, repressisse: Lutherum atque Zuinglium, & aliquot alios ex præcipuis Germaniæ Theologis, vt gliscens de Cœna Domini penè iam exitiale dissidium, sub ipsa initia maturè sopiretur: Marpurgum prudenter vocasse, ac liberalissime tractasse: Te inter multos alios, qui curabant vt Carolo V. Imperatori anno M. D. XXX. fidei Confessio exhiberetur: qua Confessione libertas deinceps religionis, Germaniæ obtineretur: non postremum autorem fuisse: Te vt cognatum illum tuum Principem, qui omnibus bonis spoliatus fuerat, patriæ restitueres, fortiter, celeriter atque etiam feliciter curasse: Te furorem & insaniam Anabaptistarum, quorum inaudita scelera vtinam possent perpetua obliuione sepeliri: in Monasteriensis bello fregisse: Te grauissimam illam & periculosissimam litem (vt alias omit- tam) quæ inter Ioannem Fridericum Electorem, & Mauricium exorta, ad ciuile bel-

bel-

bellum omnino spectabat, tuo pio & prudenti interuentu, cum magno totius Saxoniæ commodo, composuisse: Te multorum puræ religionis hostium petulantiam fortiter repressisse, atque inter alios, fortissimum quendam & potentissimum sed doctrinæ Euangelicæ hostem crudelissimum Principem tua incredibili prudentia, celeritate, virtute, eò redegisse angustiarum, ut tandem instar catelli non sine lacrymis in tuam sese vnà cum filio dediderit potestatem: Te præcipuum autorem eundemque & defensorem fortissimum pij & sancti fœderis, non contra Cæsarem, sed contra hostes Christi, ad tuendam veram religionem & Germaniæ libertatem, inter Germanos Principes atque Respublicas initi, fuisse: Tu huiusce religionis atque libertatis gratia, fortunas omnes, liberos, vitam denique ipsam, omnibus periculis exposuisse: futurum etiam ea in re felicissimum, non dicam si penes Te vnum tota fuisset belli administratio (id quod tunc passim pro certo ferebatur, & nunc peritus quisque rei bellicæ, & illius historiæ non ignarus, meritò affirmare posset) sed dicam sicut Christianus homo sentire & loqui debet: nisi Deus exercituum, omniumque rerum moderator sapientissimus Dominus Iesus Christus aliter in cælo constituisset: Te denique, etsi in multa propter Euangelium incurristi incommoda atque aduersa, omnia tamen, ut Christianum decebat Principem, heroica fortitudine sustinuisse, ita ut idem clementissimus Christus, cuius caussa illa omnia sustinuisti, tuæ te libertati tandem etiam aliquando restituerit. Cuius beneficij Te nunquam immemorem aut ingratum fuisse: pij omnes atque imprimis ipsa Germania atque Gallia, certissimum dant Tibi testimonium. Sed quid ego omnia à te præclare gesta commemorem? Certè hæc pauca quæ breuiter narraui luculentissima sunt testimonia eximie tuæ pietatis, maximarumque virtutum. Cur igitur tam pio tamque magno Principi, non me meamque commendem causam? Sed accedunt aliæ causse quæ me, ut hunc tibi librum dedicarem, permouerunt; quarum hæc non est postrema, quòd sciam quanta beneuolentia & reuerentia prosecutus fueris sanctæ memoriæ Martinum Bucerum, & quàm illius consuetudine propter pietatem singularem, eruditionem, virtutem, delectatus fueris, ita ut an doctrina tam de Prædestinatione & Perseuerantia, quàm de Cœna Domini, quam in ijs meis *ἀποχρῆδις* trado, & contra aduersarios defendo, fuerit etiam antè tradita atque defensa à Bucero necne, iudicare facile possis: agnitam verò non vereor quin defensam velis. Huic proximè adiungitur & iam alia, quòd Tu solus & alter, ex illis principibus qui Confessionem illam fidei, quam nunc Augustanam vocant, Carolo V Augusto, Augustæ exhibuerunt, superstites estis. Nemo igitur melius quàm Tu, an doctrina de qua accusor, tam de Perseuerantia quàm de Cœna, cum Augustana pugnet Confessione necne: videre potest. Sed & hac de caussa Tibi potissimum dicandus erat hic liber, quòd tu omnium optimè iudicare possis, utri sint turbulenti homines; egò ne qui de Cœna docui sicut antè à me explicatum fuit, Verum Christi corpus in Cœna sumi, & verum item eius sumi sanguinem, sed id fide & à fidelibus tantum; & ab alijs inutilibus abstinui quæstionibus: an verò mei aduersarij, qui non contenti ea Confessione, nisi etiam fateamur illud ubique esse, ore corporis edi, & ab ipsis etiam infidelibus manducari: hæreses nos damnant & blasphemos appellant. Tu enim in colloquio cum Cæsare demonstraturus, nullum amplius inter nostros esse dissidium de cœna, hac usus es argumentatione. Fatentur omnes, in cœna corpus atque sanguinem Christi verè percipi. nullum igitur amplius est inter nostros dissidium. *De Cœna Domini*, inquit ad Cæsarem, *fuit quidem inter eos, id est, nostros Theologos, contentio. verum ea nunc est consopita. nemo enim est, qui non fateatur, ibi corpus atque sanguinem Christi verè percipi.* His verbis satis perspicuè tuam significasti sententiam, si omnes confiteamur, Corpus Christi in Cœna verè percipi, debere nos esse contentos: & proinde eos esse

esse turbulentos homines, qui non hac contenti Confessione, quaestiones praeter ea mouent nouas atque inutiles, ne dicam perniciosas: & haereseos damnant omnes qui non secum fateantur vbiquitatem, oralem manducationem & manducationem Impiorum. Tu cum dimitteres conuentum Marpurgensem, praeter alia dixisti illis Patribus: Quando in praecipuis dogmatis idem sentirent, abstinendum esse deinceps ab omni contentione. Prudens & prudentissimo Principe dignum consilium. At nunc isti noui Patres, & (si Deo placet) Te prudentiores, longè aliter & sentiunt & agunt. Hæc verò alia praetereunda non est, quòd qui primi meis hisce Thesisibus testimonium dederunt, ij fuerunt docti & pii in tua Marpurgensi Academia atque Ecclesia doctores atque Pastores, quorum sapientissimum iudicium alij quoque quàm plurimi non vulgares Theologi ac ministri verbi, secuti sunt. Erat autem æquum, vt Tu, quodnam & quale iudicium tui Theologi de Thesisibus mihi obiectis fecerint, quantique ab alijs Theologis factum id fuerit, videres. Ad extremum dicam id quod est, liberè. Cum, nescio quò pacto, certè propter tuam virtutem & pietatem, maxima sim affectus erga te obseruantia & gratificandi voluntate: nolui concedas ad supèros antequam aliquid huius mei erga te animi testimonium accipias.

Non defuerunt ergo causæ, quæ vt hæc Theologorum iudicia & mea *ἀποχέ-
δια* Tibi, Princeps Illustrissime, iudicanda, & si probentur, tua autoritate protegen- da traderem ac commendarem; me ita permouerunt vt compulerint. Quare te etiam atque etiam reuerenter rogo & obsecro, Generosissime Princeps, vt velis & praesentem libellum tuo nomini dicatum amanter amplecti, & meum erga Te tuos- que liberos omnes, atque in primis erga verè Illustrissimum non sanguine tantum & nobilitate, sed pietate etiam singulari, sed literatura, sed inuicta animi fortitudine, sed prudentia, sed æquitate atque iustitia, alijsque innumeris & excellentibus virtutibus Principem Gulielmum, cui etiam & me & meam causam commendatam velim, amorem, obseruantiam, animum, gratum habere.

Illud verò non solum Te & Gulielmum Principem, sed quotquot hunc legerint librum, viros pios & doctos per Iesum Christum obtestor, vt si quid in ijs meis praelectionibus repperint, quod non vsquequaque dictum fuisse orthodoxè iudicent; illud mihi amicè & Christianè, siue coràm, si fieri possit, siue per literas significant. Omnium enim piarum Ecclesiarum & verè piorum doctorumque virorum, hoc est, totius Ecclesiæ verè catholicæ & Apostolicæ iudicio hæc omnia submitto: quidquid erratum est (si quid erratum est) emendaturus, modò mihi veritas amicè atque Christianè S. literis perspicuè demonstretur. Neque enim pudebit me ab eruditioribus discere, & si quid erroris vel didici vel docui (quod tamen nondum agnosco) illud dediscere & dedocere: praesertim cum ingenuè profitear me esse in Schola Christi, vbi nemo praeter doctorem Christum tam doctus est, cui non sit quotidie magis ac magis in cognitione veritatis proficiendum. Illud tantum admonitos velim omnes pios, ne illa nuda propositione quæ est de Perseuerantia Sanctorum, vllò modo offendantur: vel quòd eum ea multi loci Scripturarum pugnare videantur, vel quòd etiam si vera sit, nullum tamen eius cognitio fructum hominibus satis suapte natura securis, adferre videatur. Nam cum mihi inchoatam tractationem in Schola absolvere non licuerit: ego neque Scripturarum loca in speciem pugnantia conciliare, neque quo pacto propositio illa esset intelligenda, declarare: neque denique vsum illius doctrinæ explicare tunc potui. Ceterum Deo fauente, totam illam tractationem alijs quàm plurimis tum Scripturarum, tum Patrum, tum doctissimorum nostri temporis virorum adiectis testimonijs, omnibus in speciem pugnantibus locis conciliatis, omnibus aduersariorum argumentis dissolutis, & huius salutaris doctrinæ vsibus expli-

catis:

cat: ita perficiam, ut nemo nisi plane perditus & in sensum reprobum traditus, doctrinam hanc tanquam veram, certam, piam, salutarem, imò cuique etiam pio necessariam cognitu: non sit probaturus. Interim nemo damnet quod non intelligit: sed suum saltem iudicium, dum vel me planè audierit, vel perfectam tractationem legerit, suspendat. Est enim illud Menandri sapientissimè dictum, probè memoria retinendum omnibus qui sapientes & esse & videri volunt: Ὁ προκαταγινώσκων πρὶν ἀκῶσαι σαφῶς, Αὐτὸς πονηρὸς ἐστὶ πρὸς τὰς κακῶς. Neque etiam illud Siracidae Consilium aut negligendum aut contemnendum est, βελδύετ' ἅπαντα τὰ λέγειν ἢ ποιεῖν. ἔγδ' ἔχεις ἀσθενα ἀνακαλέσασθαι τὰ λεχθέντα καὶ πεπραχέντα. Dominus Iesus Te Tuosque liberos omnes in vera pietate custodiat promoveatque, diu nobis conferuet, fortunas quoque ipsas feliciter in omnibus dirigat. Ego enim ut cum Diuo

Ioanne loquar: πρὶ πάντων ὁ χρομαίσε δ' ὁ δόξασθαι καὶ ὑγαίνειν, καθὼς δ' ὁ δόξασθαι ἡ σε ψυχὴ. Clauennæ xv.

Octob. Anno M. D. Lxv.

EPISTOLA

